XIII A. 6.
Ex
Bibliotheca Capituli
Ritus graeco-catholici
Premisliensis.

P. XVI. 600-601 add.

REVERENDI P.

PETRI THYRAEI NOVESII, SOCIET. IESV DOCTORIS THEOLOGI, ET IN ACADEMIIS PRIDEM MOguntina; nunc verò Herbipolensi professoris ordinarij.

DE VARIIS TAM SPIRITVVM, QVAM VIVORVM HOMINVM PRODIGIOsis Apparitionibus, & nocturnis infestationibus libri tres. Quorum contenta pagina versa demonstrabit.

CVM INDICE CAPITVM, ET RERVM ac sententiarum memorabilium.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Ex Officina Mater. Cholini, sumptibus Gosuini Cholini.
ANNO M. D. XCIIII.

CONTENTA TRIVM *librorum,*

Primus disputat de Apparitionibus omnis generis Spirituum, Dei, angelorum, dæmonum, & animarum humanarum. Cum appendice, de Spirituum Imaginibus, & earundem cultu.

Secundus de prodigiosis Apparitionibus hominum viuorum, tum Sub propria Specie, tum sub peregrina & bestiarum.

Tertius de tumultibus & terrificationibus nocturnis, quę hominum mortes portendere solent.

P. XVI. 600

GOSVINVS CHOLINVS TYPOGRAPHVS STUDIOSO LECTORI.

DE spectris, lector candidè, prodigiosis Spirituum hominumq; Apparitionibus ac strepitu nocturno, vulgus sæpè multumq; loquitur, ac sentit variè: eruditi mirificè decertant, dubiè inconstãterq; iudicant. Quidam phantasmata qualiacunque, etiam quæ nullam habent figuram propriam, sed inanem modo ac variam ex humano motu alioúe affectu imaginẽ accipiunt, summè admirantur, horrescunt, suspiciuntúe. Alij Apparitiones Spirituum vniuersas rident, pro meris fabulis, somnys, ac ad superstitionem stabiliendam confectis Sathanæ ludibrijs habent. Quæ hominum imperitorũm, veritatis, doctrinæ ac iudicij inopia laborantium in opinando varietas atque absurditas haud miranda, doctis sæpè in huius materiæ quæstionibus siue lapsis errore, siue ignoratione victis, siue obscuritate territis. Poëta, Homerus, Virgilius ceteriq; mille fingunt vmbras, manes, laruas, lares, lemures, erynnes aliaq; infernalia spectra; at omnia ipsorum fabulis relinquenda. Apud historicos frequens phantasmatum atque visorum mentio, circumstantiarum etiam & effectorũ narratio diligens, at causarũ inquisitio rara, frigida, & quandoq; friuola. Iurisconsulti de tetris imaginibus alicubi, nocturnis illusionibus & tumultibus, quibus inquietantur ædes, de hominũ in bestias transformatione, & pleriſque alijs disserunt, sed in quibus multa, ad absolutam harum rerum explicationem, etiam apud diligentissimos, Couarruuiam, Tholosanum, atque Bodinum desideres. Mitto Medicos, quorum quam sint incerta parumq; consentientia in hoc quæstionum genere iudicia, vel vna de Lycanthropia disputatio conuincit. Hanc enim cum Fernellius & quidam alij, vt veram, certissimam & indubitatam admittant, Paulus Ægineta, causam rei mirificæ ignorans, esse morbum hominum ægrotorum, cogitantium se lupos, & in syluis oberrantium, sermone & scriptis tradidit. Ipsi Philosophi, ipsi Theologi, ad quas in primis harum difficultatum spectat tractatio, quàm sæpè in his non planè consentiunt? quam de multis dubiè disceptant? quàm meticulosè alicubi pronunciant, ac rerum obscuritate territi discere, quàm docere malunt. Vt è pluribus duos memorem. Plinius secundus sagax rerum indagator, ex Sura Philosopho per literas, quid de spectris sentiendum, cognoscere cupit, rem dignam iudicans, quam ille diu multumq; consideraret, scientia sua in partem vtramque disputaret, sed ex altera fortius, ne se suspensum incertumq; dimitteret. Quid de B. Augustino dicam? In quæstionibus abstrusis spinosisq; excutiendis nullus Theologorum veterum illo expeditior, nullius solidior: & tamen, cum in

quæstionem de Spirituum Apparitionibus incidisset; Res hæc, inquit libro de cura pro mortuis agenda, altior est, quàm vt à me possit attingi, & abstrusior, quàm vt à me valeat perscrutari: & ideo quod horũ duorũ sit, an verò fortassis vtrumque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum; aliquando per Angelos suscipientes personam martyrum, definire non audet, mallem à scientibus ista perquirere. Hæc ille. Qui cum non obscure testetur disputationem hanc de Spirituum Apparitionibus maximis inuolutam esse tenebris ac difficultatibus: tum mihi summa semper hæc visa fuit ratio, quam ob rem ea ipsa omnium quidem hominum versetur sermone, à multis etiam sparsim sit delibata: at verò à paucis explicatè proposita, à nemine, qui quidē ad nostras venerit manus plene perfectéq; absoluta fuerit. Quo nomine vel in primis laudem meretur R. P. ac clarissimus societatis Iesu Theologus, Petrus Thyreus, qui, edita pridem Moguntiæ de Spirituum Apparitionibus disputatione, & nuper Herbipoli alia de visis hominum viuorum prodigiosis, nunc tertiam de nocturno portentosoq; strepitu dare voluit, atque ita ex professo primus locum Theologiæ difficillimum, pulcherrimum, atque vtilissimum non modo suscipere sibi tractandum, sed & quantum rerum obscurissimum patitur subtilitas, præcipuarum quæstionum explicatione methodica, perficiendum duxit. Quos ego tractatus, cum & doctis plurimis probari multum, & à studiosis diuersarum disciplinarum impensè desiderari animaduerterem operæprecium me facturum putaui, si eos in libros tres concinne digestos in publicum proferrem. Quo tu labore, lector candide, ita fruere, vt è studio, quod in eius lectionem, fructum, non tantum voluptatis iucundæ, quam materiæ rarę ac subtilis apta variisq; historijs ornata, præbet tractatio, sed & vtilitatis non contemnendæ, perceptione doctrinæ non rarò ad vsum humanum adeoq; ipsam excolendam pietatem necessariæ, reportes. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Cap. I. Ostenditur, quid nomine Spiritus intelligatur, & quod sint spirituum genera, de quibus Disputatio instituta est. fol. 1.

Cap. II. De natura, ratione & speciebus Apparitionum, in genere. 3.

Cap. III. De Apparitionibus Dei, & præcipue ijs, quæ olim in veteri lege patribus fuerunt exhibitæ, quarum rationes & causæ explicantur. 6.

Cap. IIII. Expenditur modus, quo Deus olim in veteri lege exhibitus est. 8.

Cap. V. De varijs Apparitionibus Dei, quæ in noua lege, & tempore gratiæ fuerunt factæ. 12.

Cap. VI. De bonorum Angelorum Apparitionibus quas veras esse demonstratur, licet ipsæ non omnibus conueniant. 35.

Cap. VII. Explicantur modi & rationes, quibus Angeli boni apparuerunt. 17.

Cap. VIII. Explicantur operationes bonorum Angelorum in assumptis corporibus, & insuper earundem apparitionum variæ assignantur causæ. 19.

Cap. IX. De Apparitionibus Dæmonum, seu malorum Angelorum, quas varijs rationib. ostenditur, à bonorum Angelorum Apparitionibus differre. 22.

Cap. X. De proprijs quibusdam orationibus, & finibus malorum Angelorum, in assumptis corporibus. 25.

Cap. XI. De humanorum spirituum Apparitionibus, quas ostenditur non esse fabularum loco habendas. 18.

Cap. XII. De forma & modis quibus humani spiritus apparent, deq; eorundem operationibus. 35.

Cap. XIII. De causis Apparitionum humanorum spirituum in genere, atque item illis, quæ singulis spirituum generibus conueniunt. 40.

Cap. XIIII. De temporibus locis, atque personis, quibus humani spiritibus, tam boni quam mali plerunque se exhibent. 49.

Cap. XV. An liceat quouis modo, cum quibuscunque spiritibus agere & communicare? 52.

Cap. XVI. Expenduntur rationes, quibus boni à malis spiritibus dignoscuntur. 57.

Cap. XVII. Expenduntur rationes, quibus boni inter se spiritus dignoscuntur. 62.

Cap. XVIII. Inuestigantur rationes, quæ malos inter se spiritus distinguunt & produnt. 65.

CAPI-

CAPITA APPENDICIS
Libri primi.

CAp. I. De imaginibus, quibus apparitiones occasionem dederunt. 67.

Cap. II. De duplici cultu, qui Dei imaginibus à Catholicis exhibetur. 70.

Cap. III. De Imaginibus tam bonorum quã malorum Angelorum, quæ ex ipsorum apparitionibus profectæ videntur; de earum ratione & causis. 73.

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

CAp. I. Demonstratur viuos in somnis alijs quandoq; prodigiosè apparere. 79.

Cap. II. Docetur quomodo Prodigiosæ Apparitiones viuorũ, quæ dormientibus accidunt, differant à Naturalibus: & præterea, quæ Prodigiosis, quæ Naturales dici debeant. 82.

Cap. III. Ostenditur quę sit caussa efficiens & formalis Apparitionum, in quibus viuentes dormientibus offeruntur. 84.

Cap. IV. Docetur vnde cognosci possit, sitne Apparitio in somnis facta, à bonis Angelis missa, an à malis. 76.

Cap. V. Explicantur rationes, cur in Somno Spiritus exhibeant hominum imagines, & multa reuelent. 89.

Cap. VI. Inquiretur an ijs, quæ per Prodigiosas in somnis Apparitiones innotescunt & mandantur: credendum sit & obtemperandum. 90.

Cap. VII. Exemplis & rationibus docetur fieri posse vt viui in propria forma, præter rerum ordinem, siue prodigiosè, vigilãtibus se exhibeant. 94.

Cap. VIII. Reijciuntur tres modi, quibus viui vigilantibus prodigiose, sub propria forma, appare putantur. 98.

Cap. IX. Explicantur varij & veri modi, quibus viui prodigiosè se vigilantibus exhibent, sub propria forma. 100.

Cap. X. Docetur quorum opera fiant prædigiosæ Apparitiones, in quibus viui vigilantibus adsunt sub propria forma & specie; & plerumque viuos ignorare quod appareant. 102.

Cap. XI. Ostenditur quando hæ prodiogiosæ Apparitiones à bonis, & quando à malis Spiritibus fiant. 103.

Cap. XII. Docetur qui sunt fines eorum, qui harum prodigiosarum Apparitionum authores sunt; & quæ eorum, qui in his exhibẽtur, functiones & officia. 105.

Cap.

Cap. XII. Ostenditur non omnes illas Sagarum & Maleficorum Apparitiones, quibus in nocturnis conuentibus conspiciuntur, esse prodigiosas, sed sæpè ipsos αυτοπροσώπως adesse. 106.
Cap. XIV. Decetur eos in vehementem suspicionem Maleficij venire, qui in nocturnis Sagaram conuentibus prodigiose apparent. 108.
Cap. XV. Docetur varijs exemplis, fieri, vt viui adhuc homines sub brutorum animantium forma aliquando conspiciantur & appareant. 111.
Cap. XVI. Ostenditur in prodigiosis hominũ sub bestiarũ forma Apparitionibus non secundum humanum corpus tantum fieri trãsmutationem: ita scilicet, vt vna eademque anima, nunc sit in humano, nunc in bruti alicuius animantis corpore. 114.
Cap. XVII. Referuntur rationes quibus quibusdam persuasum est in his prodigiosis viuorum sub peregrina forma Apparitionibus, veram totius hominis, aut certe coporis hominis in bestias fieri transmutationem. 118.
Cap. XVIII. Demonstratur animas hominum in prodigiosis, quæ videntur, corporibus verè manere, qualiscunq; etiam corporum mutatio fieri dicantur. 119.
Cap. XIX. Non vera esse brutorum animantium corpora, quæ in prodigiosis his viuorum, sub peregrina forma Apparitionibus conspiciuntur, pluribus rationibus docetur. 121.
Cap. XX. Docetur non posse vere dici homines in veras bestias transmutari & conuerti. 123.
Cap. XXI. Respondetur exemplis, quibus capite decimo probatum est, Veram hominum in bestias transmutationem fieri. 124.
Cap. XXII. Respondetur rationibus, quibus, Capite decimo septimo demonstratum est, Veram in his Apparitionibus hominum in bestias transmutationem fieri. 127.
Cap. XXIII. Explicatur modus, quo fit, vt homines partim sub brutorum animantium formis appareant: partim ipse sibi persuadeant, se verè in bestias transmutatos esse, cum reuera trasmutati non sint. 129.
Cap. XXIV. Explicantur causis efficientes prodigiosarum transmutationum, & Apparitionum hominum sub peregrinis & bestiarũ formis. 132.
Cap. XXV. Explicantur fines, qui diuersis in hac prodigiosa transmutatione & Apparitione sunt propositi. 134.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

CAp. I. Inquiruntur cauſæ afficientes nocturnorum terriculamentorum, quæ mortis ſolent eſſe indicia, & oſtenditur illa non fieri, vel à Deo, vel ab animabus eorum, quorum mortem ſignificant. 137

Cap. II. Docetur terrificationes & dictos tumultus non fieri ab homuncionibus quibuſdam, ſed nec eſſe tales quales dicuntur homunciones. 139

Cap. III. Demonſtratur dictos tumultus non excitari à Spiritibus hominum illorum, qui ex hac vita diſceſſerunt. 141

Cap. IIII. Animas puerorum, & eorum qui cum ſolo peccato originali, vel etiam veniali hinc diſceſſerunt, non excitare hos tumultus & terrificationes. 142

Cap. V. Bonos Angelos non eſſe authores tumultuum, qui prænuncij mortis eſſe ſolent. 144

Cap. VI. A malis Spiritibus tumultus, qui mortis ſunt indicia excitari. 145

Cap. VII. Tumultus ſiue terrificationes mortis prænuncias excitari à Dæmonibus, qui ſunt ordinis inferioris. 146

Cap. VIII. Ab inferiorum ordinum dæmonibus illis, qui ſingulorum hominum quaſi proprij ſunt, & qui Dij domeſtici, ſiue Lares olim vocabantur, tumultus & terrificationes excitari. 149

Cap. IX. In præcedentia capita de terrificationum & tumultuum authoribus cenſura. 152

Cap. X. De finibus qui dæmonibus in tumultibus nocturnis & terrificationibus propoſiti ſunt. 153

Cap. XI. De effectis nocturnorum tumultuum & dabolicarum terrificationum. 155

Cap. XII. Inquiritur modus, quo tumultus excitantur, & terrificationes nocturnæ fiunt. 156

Cap. XIII. De locis atque temporibus, quibus excitantur ſtrepitus iſti, agitur. 158.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVE PASSIM IN HIS TRIBVS libris de Spirituum Apparitionibus inueniuntur: numerus prior paginam, posterior thesin indicat.

B. A

AGnes Constantiæ apparet. 30.209.
Agni vsus antiquissimus. 68.9.
Amilcaris somnium. 92.85.
Angeli, alij boni, alij mali. 2.11.
In vtrisque varij gradus. 2.12.
Diuersæ functiones. 16.105. & seq.
Vtroramque imagines. 72.38. & seq.
Bonorum apparitiones. 15.99. & seq.
Non omnes ad nos mittuntur. 16.105. & seq.
Modus quo apparent. 17.112. & seq.
Ex aëre assumunt corpora. 18.119.
Quomodo iis vniantur. 18.117.
Cur in peregrinis corporibus se exhibeant. 21.141. & seq.
Quid in iis operentur. 20.137. & seq.
Sunt forma absque materia. 2.8.
Passionibus non subiecti. 20.139.
Rebus nostris intersunt. 16.105.
Nunquam tristes apparent. 64.439.
Quo modo cum iis loquendum. 53.353.
Fallere nequeunt. 54.365.
Angeli à se inuicem illuminantur. 75.60.
Intersunt Missæ sacrificio. 76.64.
Subeunt aliquatenus munus sacerdotale. 79.53.
Eorum variæ picturæ & effigies. 72.38. & seq.
Cur discalceati pinganturi 75.61.
Cur nubibus amicti? 75.59.
Cur cum Musicis instrumentis? 57.62
Angelus bonus cuilibet à Deo assignatus. 149.198. & seq.
Ab his nõ excitantur tumultus qui prænuntij mortis esse solent. 144.50. & seq.
Animæ duplicis generis sunt. 117.242.
Imperfectorum animalium quandoque ex putredine producuntur. Ibid.
Anima difficulter corpus relinquit. 121.267.
Vna tantum est rationalis in quolibet homine. 116.230. & seq.
Intrare aliud corpus non potest. 99.120. & 121.266. & seq.
Animarum transmigratio olim damnata. 99.121. & 116.233.
Anima non simul cum corpore interit. 40.272.
In assumpto corpore [non] meretur vel demeretur. 29.263.
Animæ beatorum ad libitum nobis apparere possunt. 33.222.
In Purgatorio constitutæ cur appareant? 46.309. & seq.
Quibus mediis iuuentur 48.316. & seq.
Animarum & Cœlestium Spirituum nõ eadem conditio. 65.449.
Animæ iustorum statim in cœlum transferuntur. 41.280.
AEthiopum quorundam alimenta sunt crudæ locustæ. 126.304.
Apparitiones fieri interdum, certum est. 29.201. & seq.
Quid sint? 3.21.
Illarum triplex genus. 4.23.
Nocturnis temporibus præcipuè fiunt. 49.328.
Idque ex de causis. 89.71. & seq.
In Veteri Testamento non admodum vsitatæ. 49.322.
Piè morientibus plerumque eueniunt. 48.329.
Quibus in locis præcipuè contingant. 51.337. & seq.
Quibus personis. 51.340. & seq.
Angelorum opera maximè fiunt. 63.431.
Apparitiones aliæ sunt Naturales, aliæ prodigiosæ. 78.3.
Prodigiosæ duplices sunt. 79.5.
Distinguuntur prodigiosę à Naturalibus. 82.24.
Forma vtrarumque eadem est. 83.25.
Falsæ aliquot distinctiones. 83.27. & seq.
Veræ. 83.31. & seq.
Quomodo Deus in vtrisque agat. 84.33
Finis apparitionum. 85.48.
Causa efficiens & formalis. 85.40. & seq.
Fiunt tam bonorum quam malorum Spirituum opera. 84.35.

Quæ bonorum. 88.67.& seq.
Quæ malorum. 87.64.& seq.
Non omnibus fides adhibenda. 93.86. quibus credendum 93.87 & seq. Quibus non. 93.90.& seq.
Viui vigilantibus quandoque apparent. 100. 133.& seq.
Quomodo bonę apparitiones à malis sint distinguendæ 104.159.& seq.
Malas procurare non licet. 104.166.& seq.
Antropomorphitarum hæresis. 8.56.
B. Antonio Dæmones infesti. 24.164.
Antonij Caracallæ visio de morte sua. 91. 80.
Apostoli discalceati. 75.61.
Apuleius, Magus. an in asinum mutatus? 125. 287.
Aquæ lustrales vsus 61.421.& seq.& 151. 111. oratio in eius consecratione adhiberi solita. 62.421.
Arcadis cuiusdam somnium. 82.22.
Arcades quomodo in lupos transmutentur. 111.211. an vera sit transmutatio hæc? 125. 288.
Arriani reprehenduntur. 14.91.
Athenis spectrum quoddam specie senis visum. 32.218.
Attilæ Leo Papa occurrit. 31.209. eius suffocatio. 91.79.
Auerroës reprehenditur. 89.79.
B. Augustinus Eulogio apparet. 34.227.& 80.14.
Item Palladiæ cuidam. 81.15.& eius fratri. 95. 104.
Non negat apparitiones, sed án αὐτοπροσώπως vel ἑτεροπροσώπως fiant, difficulter assequitur. 34.228.

B.

S. Babylæ Martyris corpus, Dæmoni silentium imponit. 65.417.
Baraca, Missæ sacrificio vitæ restitutus. 106. 179.
Beatorum animæ, statim in cœlum recipiuntur. 41.280.
Quotiescunque libet inde ad nos descendere possunt. 33.222.
S. Benedictus fratrib. suis in somnis apparet. 81.18.
Item Placido. 95.104.
Bestiæ quandoque locutæ. 118.245.& 120. 260.
Brentius impudentiæ arguitur & mendacij. 60.614.

C.

Calphurniæ somnium de nece Iulij Cęsaris. 91.80.
Carnibus humanis & belluinis nonnulli homines victitant. 129.304.
Carolstadius à filio de morte sua præmouetur. 22.151.
Cassidis superstitiosus vsus 51.346.
Cæmitæria quare consecrentur. 24.167.
Causus fluuius alloquitur Pythagoram. 1.8. 245.
S. Cecilia angelos videt. 16.103.
S. Chrysostomus deuotissimus sacrarum imaginum cultor. 70.21.& 72.34.& 74. 50.
Conuertit Valerium. Ibid.
Columbæ aureæ altaribus quondam appensæ. 68.8.
In ea reseruata. S. Eucharistia. 68.8. in hac. Sp. Sanctus apparuit. 68.7.
Compitalia festa quæ? 151.108.
Cornelius Agrippa Dæmonem in specie canis circumferebat. 24.164.
Corpora cœlestia in spiritus nihil possunt. 49.326.
Constantinus construit templum B. Virgini. 30.208. Petrus & Paulus ei apparent. 29. 206. item. S. Nicolaus. 81.17.
S. Vitus. 31.213. deuotissimus SS. imaginum cultor. 68.9.& 74.55.
Cresi de morti filij somnium 91.80.
S. Crucis signum dæmones fugat, morbos sanat. & cæt. 60.412.& seq.
Cyrillus Alexandrinus reconciliatur Chrysostomo. 30.208.

D.

Dei similitudo cum homine, in quo statuenda sit. 1.5.& 9.58.
Deus est actus purus. 2.8.
Non fallit vnquam. 54.364.
Quot modis hominibus præsens esse dicatur. 6 38.& seq.
Nullo loco describitur. 6.40.& 11.52.
Nunquam ἀνθρωποπαθῶς, apparet. 98. 119.
Non est auctor terrificationum. 138. 7.& seq.
Visibiliter aliquando Patribus apparuit. 7. 50.
Et quo pacto. 10.66.
Quare certis membris quandoque describatur. 9.61.& seq.
Cur nonnunquam irascatur. 9.64.
Eius erga humanum genus benignitas. 7.48. & 46. 307.
Mortem nostram differre potest. 156.145.
Solo voluntatis suæ imperio res producit. 158.168.
Dei apparitiones angelorum opera maximè fiunt. 10.67.& 11.74.
Demenetius in lupum mutatus. 511.211.
Dæmones dicuntur simiæ Dei. 150.103.
Est ordo quidam inter illos. 149 94.
Alij alijs sunt præstantiores. 214.
Omnibus inest nocendi libido. 2.15. & 152. 122.
Cum ijs agere non licet. 53.354.&54.361.
Eorum variæ apparitiones, 22.149.& seq.& 50.333.
Diuersorum corpora assumunt. 23.160.& 76. 65.
Semper cruciantur. 22.153.& 37.250.
Quomodo à bonis spiritibus differant. 23.158. & seq.
Quibus in locis potissimum versentur 23.158. & seq.
Martyrum reliquias horrent. 24.169.& 61. 418.& seq.
Quatuor Christianæ religionis symbola detestantur. 60.412.& seq.
Cruce fugantur. 60.412.& seq.
In quorum corporibus operentur. 25.170.
Quæ nam præscire possint. 27.86.& seq.
Cur aliquando verum dicant. 93.93.& seq.
Exorcismis pelluntur. 66.455.
Adiurati verum dicunt. 54.367.
Non semper loca sacra fugiunt. 58.397.
Piis hominibus impuris somniis multum sunt molesti. 88.66.
Rerum causas exactissimè norunt. 93.91.
Corpora de loco in locum transferre possunt. 107.187.& seq.
Huius rei notabile exemplum. 107.191.
Dæmones succubi & incubi. 25.174.& seq.
Non admittendi. 25.176.
Filij inde nati quales habendi. 26.179.
Morientibus adsunt. 50.331.& seq.& 52. 347.
Item particulare iudicio. 50.334.
Terrores excitant. 146.75.
Imperare nobis non possunt. 55.372.
Nunquam ijs acquiescendum, etiam si bona suadeant. 94.98.&55.373.
Obsequia sua quandoque offerunt. 194. 166.
Eorum Veneris amplexibus vti non licet. 57.386.& 59.405.
Peccant qui suos liberos iis offerunt. 55. 374.

Suffragia viuorum aliquando expetunt. 58. 395.
Eorum vires Deus restringit. 109. 196. & seq.
Bonorum virorum opera ad suas Incantationes vti non possunt. 110. 200 & seq.
Dæmones se esse quidam homines confessi sunt. 129. 305.
Illorum opera nocturni tumultus & terrores fiunt. 145. 64.
Norunt hominum complexiones. 146. 69.
Ex omnium Angelorũ ordinib. aliqui ceciderunt. 147. 76.
Admodum sunt superbi. 148. 85
Quando sibi mutuo contrarientur. 2 15.
An quilibet homo malum sibi habeat assignatum Angelum à Deo? 150 99. & seq.
Quare veneficas periculo mortis non eripiant? 109. 199
Didimi Alexandrini de Iuliano visio 90. 79
Disparata quæ dicantur. 117. 211.
B. Dominici visio de S. Francisco. 81. 19.

E.

Eleemosynarum vsus. 48. 320.
Elias nondum mortuus. 94. 101.
Eulogius Rhetor à D. Augustino in somnis docetur. 80 14.
Exorcismis dæmones cõpelluntur veritatẽ fateri. 66. 455.

F.

S. Fœlix Nolanus ciuitatem suam ab hoste defendit 30. 209.
S. Franciscus B. Dominico in somno ostenditur. 81. 19.
Fretho Danorum Rex à Magis occiditur. 113. 118. 219

G.

Gabriel cur volans pingatur? 75. 58.
Gallus gallinaceus magnam trabem visus trahere. 128. 303.
Gemmæ in Angelorum vestibus quid significent? 75. 57
Genios duos homo habet. 149. 97.
S. Germanus veneficas prodit. 96. 108.
B. Gregorio Christus in Missa apparet. 13 86.

H.

Heliæ parentis somnium. 90. 79
Hensemenle qui sint? 151 110.
Cur sic vocentur. 151 113.
Sunt incorporei. 151. 114.
Hæreticis se adiungentes cœlitus puniuntur. 43. 291. & seq.
Transfigurant se aliquando in Angelos lucis. 57 388. & seq.
Multos peruetustos Ecclesiæ ritus irridet. 26. 422.
Imaginum vsum è medio sublatum volunt. 69. 12. & seq.
Homeri vmbra euocatæ. 32. 218.
Homo inferior est Angelo, superior iumento. 3. 16.
Hominis Spiritus à cœlestibus differunt. 3. 17.
Hominis cum Deo similitudo in quo statuenda sit. 7 5.
Homo rerum similitudo à Philosopho vocatur. 9. 60.
Homines transformari in lupos. 111. 211. & seq. in equam 112. 213. in equam. 112. 214. in asinum. 112. 215. in feles. 114. 221.
Fit autem hoc duobus modis. 115. 225. & seq. non sunt tamen hæc vera corpora. 122. 271.
Diaboli namque opera hæc fiunt. 123. 279. & 124. 286. & 128. 300. & 130 314. & seq. & 113 338. & seq.
Homines Diabolo se deuouent & quare. 134. 346. Cur Deus hos permittat. 135. 380 & seq.
Homunciones nõ sunt in rerum natura. 139. 12. & seq.
Ergo tumultuum nocturnorum causa dici non debent. 140. 19.
Hydromantici humanam effigiem in aquis ostendunt. 108. 193.

I.

S. Iacobus Apost. constituit sacellum ex admonitione D. Virginis. 29. 206.
Apparet Carolo Magno. 30. 206.
Imaginum vsus vnde originem traxerit. 67. 1. Non reiiciendus cùm sit antiquissimus 68. 8. & seq. vtilitas quæ inde prouenit. 70. 19. & seq. lachrymas quandoque nobis eiciunt. 70. 21. Cur vocentur, sacræ? 72. 32. Illarum duplex cultus. 70. 23. Non facit nos idololatras. 72 32.
Cur aliquando interdictus? 69. 11.

Ima

Imagines SS. Angelorum quomodo pingãtur. 73.39. & seq.
Malorum. 76 65.
Imagines viuorum aliis longe dissitis quandoque appatent 97.110 & seq. Errores circa apparitiones tales 98.115. & seq. Vera authoris sententia. 100.133. & seq.
Fit autem hoc duplici modo 102.146. & seq.
Iob Deo permittere afflictus. 109.197
S. Ioannes Euangelista, cum ad huc viuat? 94.102.
Qualiter apparuerit B. Gregor. Taumaturgo. Ibid. & 29. 206.
S. Ioannes Monachus mulieri cuidã in somnis apparet. 80.13.
Admodum charus Theodosio. Ibid.
Iouis Taurus quondam locutus. 118.245
Iphigenia quomodo morti subtracta. 124. 286.
Iudicium particulare quando fiat. 50 334. Quomodo. 50.335.
Iulianus apostata signo ✠ dæmones fugat. 60.412.
Iustiniano Imp. apparuit Sampson. 80.11. exstruit apostolis templum. 30.207.

L.

Lares domestici qui sint? 138.6. & 149.96. & seq.
An Geniis differant? 151.107.
Etiam hoc tempore reperiũtur, 151.110. Aqua lustrali abiguntur. 151.111.
Nos illos dæmonum, Gentes Deorum loco habent. 151.112.
Latriæ cultus vni solique Deo conuenit. 71. 26.
Leo Pontif. attalo terrorem incutit. 31. 209.
λυκανθρωπία an sit in rerum natura? 11.211. & seq. & 112.217. & 113.220.
Lucianus, an mutatus fuerit in asinum? 125. 287.
Lucretia venefica à Dæmone translata. 108. 191.
Lutherus instinctu Dæmonis Missam abolet. 22.151.
Affirmat animas in Purgatorio semper peccare. 39.263.

M.

Magdeburgensium impudens mendatium. 69.414.
Magorum præstigiæ signo ✠ euanescũt. 61. 420. Item ad nomen, Dei. 108.191.
Est illis cum Dæmone familiaritas. 27.184.
An certis quibusdam vnctionib. se transformare possint? 132.339 & 133.338. & seq.
Verba illorum cuius sint efficatiæ. 133.332. & seq.
Item res, quibus vtuntur 137.336. & seq.
Mahomet insignis impostor. 57.390.
B. Mariæ Virg. diuersæ apparitiones. 30.208.
Cum corpore & anima in cœlum assumpta.
Qui eam conuitijs proscindunt, diuinitus puniuntur. 43.390.
Damasceno manum restituit. 30. 208. & 295. Ruperto abbati docile ingenium impetrat. Ibidem. Puerum Iudæi cuiusdam è furno liberat. 30.208. Morientib. apparet. 49 329.
S. Martino Diabolus, apparet. 24.164.
Martiano in somnis Deus apparet 91.179.
Martyrum reliquiæ honorandæ 24.169.
Martinellis vti non licet. 28.193. Nocent hominibus. 57.384.
Mauritio Imp. Phocas quidam visus est. 80. 12.
Maurus super aquat ambulat. 95.105.
μετεμψύχωσις olim dãnata. 99.121. & 116.133.
Mens omni corpore nobilior 1.2. Trinitatem aliquatenus repræsentat. 9.58.
Michaelis Archangeli apparitio in monte Gargano. 15,103.
Michaelis Verduuij malefici supplicium. 113. 220.
S. Miletius apparuit Theodosio Imp. 80.11.
Missæ sacrificium, & auctoritas. 33.86. & 48. 319. & 120.259. angeli intersunt 76.64. defunctis prodest. 48.319. & 33.219. mortuum vitæ restituit. 96.106. & 106.179.
Monialis quædam visa per medium secari. 32.217.
Mors est animæ à corpore separatio. 116.230. alia est Naturalis, alia violenta. 154.134 & seq.
Mors, intrinsecus vnde veniat? 156.159. Extrinsecus. 156.151.
Mortui quo modo de rebus nostris certiores fiant? 44.297.
Mulier in equam conuersa. 124.282.

N.

Nabuchodonosor, an verè sit in bestiam transmutatus? 114. 223. & 162. 295. & seq. & 127. 298. ob superbiam à Deo punitus. 136. 356.
Natalius Confessor quare ab Angelis cæsus? 43. 291.
Necromantici malorum angelorum subsidio vtuntur. 59. 408.
Nero. Simoni Mago caput amputari curat. 96. 109.
S. Nicolaus adhuc viuens. Constantino Imp. apparet. 81. 17. procellas maris cedat, & periclitantibus succurrit. 96. 107.

O.

Orationes deuotorum defunctis prosunt. 48. 321.
Ordo, res pulcherrima. 149. 94.
Origenis error. 65 448.

P.

B. Paulus quomodo post resurrectionem Deum viderit? 12. 82. & seq.
Parochi cuiusdam visio. 97. 110.
Pausanias à spiritu cuiusdam virginis valde afflictus. 51. 343.
Paulinus Nolanus prophetiæ dono clarus 81. 18.
Peccatum vt sit plenum debet habere perfectum liberi arbitrij vsum. 86. 50. in somno non committitur. 86. 51. & seq.
Petrus Burgottus insignis maleficus pœnas luit. 113. 220.
B. Petro Christus Romæ apparet. 13. 86.
Phantasia est apparitionum domicilium 85. 40.
Philosophi cuiusdam somnium. 95. 103. & 38. 257.
Pamphagi qui dicantur? 129. 304.
Paschasij post mortem pœna. 32. 219.
Phocas quidam Mauritio Imp. visus. 80. 2.
Pictoribus quid in Sanctorum imaginibus pingendis obseruandum? 72. 36.
Polycarpi visio de morte sua. 90, 79.
S. Potamia carnifici apparet. 30. 209.
Præstantij pater in equum conuersus. 112. 213.
Prætextata, diuinitus punita. 16. 139
Puellarum procacium superstitio. 87. 64.
Pueri nondum baptizati, pœnam damni subeunt. 3. 19. & 32. 216. Hi nunquam apparuisse visi sunt. 32. 216.
Puer quinquennis diabolum vidit. 52. 347.
Purgatorium an sit? 47. 312. & seq. animæ inde ad nos reuertuntur. 47 312.
Quibus modis iuuentur? 48. 316. & seq.
Deus per talis mirabilia aliquando operatur. 64. 442.

Q.

Quatuor anni temporibus, an tunc spiritus magis apparent? 49. 327.
An qui hoc tempore nati sunt spiritus frequentius videant? 51. 346.

R.

Ratione & oratione homo à bestiis distinguitur. 120, 260.
Reliquiæ Sanctorum colendæ. 24. 169. & 61. 417. & seq.
Resurrectio corporum non impossibilis. 41. 274.
Romulus à Proculo visus. 31. 218.

S.

Sadducæorum error. 1. 3.
Sagæ produntur à S. Germano. 96. 108. earum maleficia. 99. 123. dæmonibus se deuouent 104 167.
Cur à Dæmone morti non eripiantur. 109. 199. admirandæ aliquot Sagarum transformationes. 111. 215. & 112. 216. & 113. 219.
An animæ illarum in aliud corpus migrent? 99. 123.
Samuelis defuncti spiritus, bonus ne an malus fuerit? 22. 150. & 29. 202. & 59. 410.
Sancti quare honorandi: 44. 293. orant pro nobis 45. 299.
Illorum cultus nos non facit idololatras. 44. 294.

Sunt

Sunt mediatores inter Deum & nos. 45. 300.
Sensuum non est eadem ratio. 4.22.
Scueri cuiusdam error. 74.52.
Signa rerum duplicia sunt. 155.140.
Simonidis somnium. 92.81.
Simoni Mago amputatum caput à Nerone. 96.109.
Somnia aliquando vera sunt. 90 78. quædam sino peccato obseruantur. 91.81.
Non omnibus adhibenda fides. 92.82.
Quibus nam credendum? 93. 87. & seq.
Spiritus an sit? 1. 2. quid sit? 1. 1. alij boni, alij mali sunt. 2. 7. quomodo dinoscantur. 57. 391.
Spirituum humanorum varia genera. 3. 20. Mali semper nocent. 2 15. & 62. 426. & 152. 22.
Quibus temporibus potissimnm appareant? 49. 328. & seq.
Quibus personis. 51. 340. & seq.
Quibus locis? 50. 337. & seq.
Raro multis apparent. 51. 346.
Malos à bonis discernere posse, donum Dei est. 64. 437.
Communicatio cum ijs duplex est. 52. 349. Quatenus cum iis agere liceat 51. 350. & seq.
An adsint ἀντοπτοσώπως, sciri semper non potest. 36. 243.
Non omnibus eadem fides adhibenda. 54. 363. & seq. Item 65. 452.
Boni cur apparent? 43. 288. Cur mali? 46. 306.
Eorum in assumptis corporibus operationes. 38. 255. & seq.
In ijs non speculantur per discursum. 38. 357.
Qua forma hominibus appareant? 33. 160. & 59. 403.
Spiritus humanus ab angelico quomodo distinguendus? 63. 430. & seq.
Quomodo cum bonis spiritibus sit agendum? 52. 350. & seq.
Sumunt quandoque pœnas. 43. 288. & 62. 435.
Spiritus mali qua forma appareant 33. 160.
Nunquam sunt sine cruciatu. 22. 153.
Quomodo inter se distingui possint: 66. 455. & seq.
Cum malis agere non licet. 53. 354. & 94. 98.
semper suspecti qui à Necromanticis suscitantur. 59. 408.
Spiritus mortuorum duobus modis rebus numeris intersunt. 35. 232.
Tria ex ijs cognoscere possumus. 53. 358.
Spiritus Sanctus vix vnquam apparuit. 14. 52.
Stabulariæ mulieres, veneficæ. 112. 219.
S. Stephanus vidit Iesum stantem à dextris Dei. 13. 87.
Ad eius reliquiis Palladia à tremore membrorum liberatur. 81. 15.
Substantiarum triplex genus. 1. 6.
Superbia à Deo punitur. 135. 386.

T.

Tertulliani error de Deo. 8. 56.
Item de animabus damnatorum. 75. 390.
Terrificationes nocturnosque tumultus fieri certum est. 171. 1. duobus modis potissimum fiunt. 156. 153. & seq.
Idque tribus de causis. 146. 72. & seq.
Loca sex in quibus præcipuè excitentur. 158. 172. & seq
Fiunt autem non à Deo. 138. 7. & seq. Nec à bonis angelis. 144. 50. & seq.
Nec à spiritibus hominum illorum, qui hinc discesserunt. 141. 25. & seq.
Nec ab animabus in limbo puerorum existẽtibus. 142. 38. & seq.
Neque ab homuncionibus 139. 12. & seq.
Sed Malorum Spirituum opera. 145. 64. & seq.
Fiunt autem nocte potissimum & meridie. 159. 179.
Thales Milesius, quid de Deo senserit? 6. 39
S. Theodorus Euzoio Episcopo apparet. 31. 209.

Theodoricus Arrianorum Rex in ollam Vulcaniam detrudi visus. 32.217. & 66. 457.

Theodosio Imp. B. Ioann. Euang. apparet. 29.206 item Meletius Episcopus. 80. 11. Indicit Synodum Constantinop. ibidem Iohannem Monachum belli tempore cōsulit. 80. 11. ægre fert Placillæ statuam dirui. 72.34.

Theodotus mundum breui collapsurum asseruit. 57.390.

SS. Trinitatis imagines. quædam abolendæ: quædam verò retinendæ 68.5 & seq.

Transformationes hominum in bestias 111. 211. & seq.

Earum ratio ex duobus petēda. 130.313. Causæ efficientes. 332. 324. Finis triplex. 134. 342. Insitne vnctionibus hæc transformatio 132 330. & seq Quid Dæmones in prodigiosis transformationibus hisce intendant. 134.342. & seq.

Quis hominum scopus 134. 346. & seq. Cur Deus talia non impediat? 135. 380. & seq.

An corpus etiam transmutetur? 114. 224. & seq.

Anima verò vti maneat. 119.257. & seq.

Hæ transformationes non verè fiunt. 122.271. & seq.

Respondetur contrarijs exemplis. 124.286. & seq.

Item contrariis rationibus. 127 300. Infertur verus modus harum transformationum. 130. 133. & seq.

V.

Vadianorum hæresis. 8.56. Verba Diuina aliquam habēt efficaciam: Maleficarum verò, nullam. 133.335. & seq.

Vlyssis socij fabulosè transfigurati. 111 210. & 124.286.

Visiones, vnde nomen habeant? 5.29.

Vita præsens, stadium est. 42.282.

S. Vitus Constantino apparet. 80.10.

Viuorum tria distinguuntur genera. 77.2.

Viui quomodo se prodigiosè vigilantibus exhibeant? 100.134. & seq. Nunquam αὐτοπροσώπως ad sunt. Ibid.

Fiunt autem hæ apparitiones duobus modis 102. 146.

Vnctiones cur in transformandis corporibus adhibeantur? 133.338. & seq.

Sunt verò nullius operationis. 132.329.

S. Vrsinus Petrum & Paulum vidit. 49.329.

X.

Xerxes Rex Persas. falsis somniis delusus. 92.85.

ERRATA SIC CORRIGE, QVORVM PRIMVS NVMERVS paginam, secundus thesin, tertius lineam thesis.

3. 16. 6. creatus est. 5. 31. 5. cuiuscunque. 19. 128. 6. ingressu. 24. 164. 11. minabatur. 29. 202. 1. defunctus. 32. 217. 7. Theodoricus. 50. 330. 2. morientes. 55. 374. 7. editam. 61. 419. 3. reliquiarum. 61 420. 6. vaticinia. 62. 423. 1. frequentissimè. 62. 426. 5. nulla. 63. 429. 2. statim. 64. 439. 4. sexum. 65. 448. 1. volunt 66. 457. 2. Theodoricus. 72. 37. 3. angamur. 82. 20. 4. contingere. 82. 22. 5. circumuento. 82. 22. 12. compulsus. 85. 48. 1. vsitatior 88 68. 11. vna. 90. 78. 2. Ex his aliqua. 93. 92. 2. Superbi. 96. 109. 1. auferendum. 97. 112. 9. familiaris. 98. 114. 2. fiunt. 98. 114. 4. putent. 99. 120. 1. secundorum. 99 124. 6. occidat. 110. 203. 2. Et quos possunt. 114. 223. 8. ibidem 115. 224. 5. persequemur. 117. 228. 5 dici. 119. 254. 3. ali 141. linea prima, lege excitari. 142. 33. 1. se se exhibere. 150. 103. 3. similæ. 155. 141. 4. vt fallant. 157. 155. 2. iuuat. 157. 161. 2. percutientis. 158. 165. 2. percutiente. 159. 175. 2. etiam. In numero Paginarum, assignandisque thesibus nonnunquam etiam erratum est. interim numeri ordinum sequere.

LIBER PRIMVS.

DE SPIRITVVM APPARITIONIBVS.

CAPVT I.

Ostenditur quid nomine Spiritus intelligatur, & quot sint Spirituum genera, de quibus Disputatio instituta est.

SPIRITVS latinis, græcis πνεῦμα; vtrisque non idem significat: non apud prophanos solum, verum etiam sacros authores. Nam & halitus est, quo vnà cum cibo & potione vita animantium tenetur (*a*); & ventus, qui aërem turbat (*b*); & animi elatio (*c*). Sed & substantiam quandam à materia separatam significat (*d*). quomodo nobis de ipso sermo erit. 1.

2. Esse talem aliquam substantiam, testis inprimis Deus est, qui Spiritus est & incorporeus (*e*). Nam si corpus esset, nec excelleret nobilitate, quia mens omni corpore nobilior est: nec motuum principium esset, corpus enim non mouetur, nisi ab alio ipsum sit motum (*f*): nec esset supra humanam cognitionem, quoniam nullum potest esse corpus, cui humana cogitatione non adiici aliquid, vel affingi queat.

3. Sed & præter Deum Spiritus esse, sacra Biblia; & diuini eorum interpretes disertè ostendunt: & paganis ipsis, naturæ rationes commonstrant (*g*). quidquid interim fabulentur Sadducæi (*h*); & nugentur philosophi (*i*), qui præter corporale principium, nullam aliam rerum causam cognouerunt.

4. Cum enim non possint non in vniuerso hoc Dei opere, vniuersi esse rerum gradus; gradum verò triplicem efficiant corpus & spiritus; & vnius ordinis sit corpus spiritui coniunctum, alterius, corpus sine spiritu; reliqui, spiritus citra corpus: huius tertij, quod reliquis duobus illustrius, perfectius, magisque exspectandum erat, ecquid extabit, nisi aliquod sit viuentium genus, sola præditum intelligentia? Deum autem in rerum creatione, quod optimum erat, intermisisse, cui suaderi potest (*k*)?

5. Nec perfectum hoc vniuersum esse potest, nisi suo factori Deo, ea qua fecit ipsum ratione, quantum detur, simile sit: atqui similitudinem hanc rectius assignare non possumus, quàm si illam in natura separata statuamus; quæ propius quam vtralibet alia, ad ipsum accedit.

6. Substantiarum igitur non vnum est genus: sed aliud quidem prorsus corporeum; aliud prorsus à materia separatum & spiritale; aliud medium, & quasi ex vtroque compositum, spiritu scilicet & corpore, quale est animal.

a *Cic. de natu. Deor.* & *Iosue 5.*
b *Verg. 6. Aeneid.* & *Psal. 147.*
c *Cæsar lib. 3. belli Ciuilis.* & *Iob 13.*
d *Psal. 103.*
e *Ioan. 4.*
f *Aristot.*
g *Aristot 8. Phys.* & *12. Metaphys.*
h *Matt. 22.* & *Actor. 13.*
i *Arist. 1. Physic. c. 2.*
k *Genes. 1.*

7. Hinc iam duo oriuntur Spirituum genera, quorum alij nullam habent cum materia communionem, alij ita materiæ coniunguntur, vt naturali quadam inclinatione ad ipsam semper propendeant, vel sine ipsa esse nequeant.

8. Priores illi, non eiusdem ordinis sunt omnes. Deus pater est spirituum (*a*). Angeli cum vniuersa clamant creatura, Quoniam ipse fecit nos,& non ipsi nos, (*b*) nos autem opera manuum ipsius. Et, Deus actus est purus; quod in angelos conuenire non potest: Licet enim ipsis nulla insit ex materia formaque concretio, sed forma sint absque materia; ex potentia tamen & actu; ex essentia & esse; ex subiecto & accidente constituuntur. (*c*)

a *Hebr.* 12.
b *Psal.* 94.
c *S. Thom.* 1. p. q. 50.

9. Hinc bene D. Augustinus, (*d*) Simplex quidem est (inquit) spiritualis creatura in comparatione corporis: quia scilicet mole non diffunditur per spatium loci: in se tamen multiplex est; neque quod de Deo dicitur (*e*) de angelis affirmari potest, vt sine qualitate sint boni, sine quantitate magni, sine situ dicantur præsidere, sine habitu omnia continere, sine loco esse vbique, sine tempore sempiterni, sine vlla sui mutatione, mutabilia facere, nihilque pati.

d *Aug. lib.* 6. *de Trinita. c.* 6
e *Aug. lib.* 5. *de Trin. c.* 1.

10. Et quidem spiritus est pater, spiritus est filius, spiritus qui ex patre filioque procedit Sanctus Spiritus (*f*): qui quoniam communis est ambobus (*g*), id vocatur propriè, quod ambo communiter.

f *Athanas. in Symbolo.*
g *Aug.* 15. *de Trin. c.* 19.

11. Angelicorum spirituum quidam Dei gratia fœlices sunt, quidam propria malitia miseri. hos dæmones & Diabolos dicere solemus; illi commune nomen angelorum retinent. Hi circumeunt quærentes quem deuorent (*h*): illi administratorij sunt spiritus; (*i*) in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

h 1. *Pet.* 5.
i *Hebr.* 1.

12. In vtroq; genere varij gradus sunt. (*k*) Inter fœlices enim, quidam supremũ occupant locum, vt Seraphin, & Cherubin, & Throni: quidã infimum, vt Principatus; Archangeli, Angeli: quidam medium, vt Dominationes, Virtutes, Potestates. Et hi non minus, quam ipsi ordines, interse distant.

k *Dionys. de Hierarch. lib.* 1. *c.* 6. *& Greg sup.* 15. *ca. Lucæ, hom.* 34.

13. Sic & inter infœlices ordo quidam est, quem ipsa secum natura adfert. (*l*) est & consensus voluntatum, (*m*) quo nocere cupiunt omnes; licet alioquin in inferno nullus sit ordo, sed sempiternus horror inhabitet (*n*).

l *Thom* 1. *p. q.* 109 *art.* 1.
m *Ibid.*
n *Iob* 10.

14. Nam inter dæmones quidam præstantioris sunt naturæ, quidam non ita præstantis. Et primus quidem (vt authorum quorundam (*o*) est opinio) omnibus natura, naturæque viribus præstat; etiam ijs, qui fœlicitatem Dei gratia, suisque meritis sunt consecuti. Alij item eius exemplum imitati, ex singulis ordinibus delapsi, eadem retinuerunt, quæ in principio creationis suæ à Deo consecuta fuerunt, naturæ præsidia (*p*).

o *Greg. hom.* 34. *in Euan. de centum ouibus & Thom.* 1 *p. q.* 63. *ar.* 7
p *Thom.* 1 *p.* q 64. *art.* 1.

15. Sic nocendi libido omnibus inest vna; hæcq; non ex amicitia, quã inter se habent proficiscitur; sed ex nequitia, qua hominum saluti inuident,

uident,(a)& Dei iustitiæ repugnant,eiusq; gloriam non ferunt(b). Quia verò inter superbos semper iurgia(c),fit vt præterquam in hoc vno,ipsorum studia semper sint contraria.

a 1. Pet. 5.
b Thom. 1. p. q. 109. art. 2. ad. 2.
c Prou. 13.

16. Et hi Spiritus omnis concretionis sunt expertes, dicunturque & re vera sunt spiritus. Verum alterum illud genus duplex est. Quoddam (vt loquitur B. Gregorius(d)carne tegitur,sed carne non moritur,vt hominum spiritus:quoddam & carne tegitur,& carne moritur,vt iumentorum omniumq; brutorum animantium. Homo itaque (subiungit) sicut in medio cratus est,vt esset inferior angelo,superior iumento: ita aliquid habet commune cum summo, aliquid cum infimo. immortalitem scilicet spiritus cum angelo,mortalitatem verò carnis cum iumento.

d Greg. 4 dialog. c 3.

17. Sed & hominis spiritus à cœlestibus illis etiam hoc differũt,quod eam habeant ad corpus affinitatem,vt perpetuo illud quasi procentur, & satis factum sibi nunquam putent, nisi cũ ipso copulentur & indiuiduam vitæ societatem ineant.

18. Interim verò liberi à corpore esse possunt,& per se subsistere; quin imò suas etiam operationes perfecte exercere:sed & summo infinitoq; bono perfrui:ad quod tamen corpori immersi sese extendere, non nisi summis conatibus,atque Dei gratia possunt.

19. Liberi autem à corporis mole hi spiritus, quandoq; ad beatas sedes transuolant;quandoq; ob demerita,vel Dei præsentia & conspectu priuantur(vt sunt puerorum spiritus,qui antequam ex hac vita discedant, maculas originalis peccati sacro fonte non eluerunt) vel præter hoc etiam æternis cruciatibus addicuntur,(vt sunt reliquorum damnatorum):quandoque ob sordes quas contraxerunt & nondum perfectè, cum Dei gratia abluerunt,igne, vt vocant grauissimi, authores (e), purgatorio expiantur.

e Aug serm. 41. de Sanctis Greg. lib. 4. dialog. c. 39. Beda in 3. c. Lucæ. Isidorus lib. 1. Offic. c. 18. etc.

20 Quocirca quemadmodũ cœlestium spirituum post Deum,quidã angeli sunt,quidam dœmones:ita humanorum varia sunt genera. Aliqui fœlices sunt,& cum Christo regnant:alij sunt infœlices,& graues pœnas perferunt: deniq; sunt quidam, nec prorsus miseri nec prorsus infœlices,qui pro contractis peccatis ad tempus aliquod alicubi satisfaciunt. De omnium horum spirituum (præterquam brutorum, qui simul cum corpore intereunt) apparitionibus nobis agendum erit.

CAPVT II.

De natura, ratione, & speciebus Apparitionum in genere.

APparitiones hoc loco vocamus, spirituum, de quibus diximus,manifestationes;in quibus præter naturę ordinem ex diuina dispensatione,ipsi se certis modis hominũ sensibus insinuant. 21.

22. Quemadmodum verò sensuum non vna eademq; est ratio: ita neq; eodem modo se semper spiritus offerunt. Quandoque in solam mentem illabuntur, quandoque formas quasdam in interioribus sensibus efficiunt, quibus innotescunt; quandoque etiam externis sensibus percipiuntur, & sic viuorum rebus interfunt.

a *Isid. lib. 7. Cap. 8.*

23. Hinc est, quod Isidorus (a) triplex apparitionum genus constituat, quarum vna corporalis, alia spiritalis seu imaginaria; tertia intellectualis dicatur. In prioribus duabus omnes omnino spiritus alienas oportet mutuentur formas, quibus se sensibus offerunt; in tertia fieri potest, vt se ipsis mentem occupent.

24. Tertia item diuinior est, & rarissimè contingit; eiusq; quædã imago videtur illa, qua beati modo perfruuntur, fœlicitas; vt qui corporis

b 1. *Cor.* 13.

mole soluti speculantur Deum sicuti est (b) & non ex ænigmatibus quibusdam eius aliquantulam cognitionem aucupantur: at corporalis, & ænigmatica, ex se diuinum habẽt nihil; quicquid verò in ipsis est, quod naturæ leges excedit, hoc totum à spiritibus, qui percipiuntur, proficiscitur.

25. Quocirca in his nulla fit homini vis, quandoquidem naturali suo funguntur sensus officio: in illa verò necesse est altius mens eleuetur, & quasi à corporeis nexibus absoluta aliò transferatur, gratiaq; diuina adiuuante percipiat (c), ad quod proprijs viribus pertingere nequit.

c *Thom. 1. p. q. 12. ar. 4.*

26. Corporalis illa appiritio & visus, & auditus, & aliorum sensuum fit ministerio, semperque contingit hominibus vigilantibus, & spiritibus se sub corporeis formis exhibentibus, aut certè vehementer sensum immutantibus. Imaginaria verò nunc accidit vigilantibus, nunc sopore presis; spiritibus non tam se aliena specie insinuantibus, quam sui ipsorum ideas in hominis imaginatione formantibus, & excellentiori quodam modo, quam in illa corporali, nobiscum agentibus.

27. Sæpissime tamen euenit, vt hæc duo genera confundantur: vt scilicet se sensu aliquo externo percipiendos offerant, & quasi hominem excitent spiritus, atque statim deinde totam imaginationem, sensu relicto, occupent. Cuius rei exempla in probatissimis historijs quam plurima licet obseruare.

28. Quæ verò in somnis contingunt apparitiones, non vnius generis sunt omnes. Quædam Oracula dicuntur; quædam Visiones; quædam

d *Aug. lib. de spiritu et anima c. 25. Brunus de imag. ca. 1. li. 1.*

Somnia. (d) Oraculum est, cum in somnis grauis quædam persona apparet, & quid euenturum, aut non euenturum; quid faciendum aut omittendum enunciat. Visio, cum id quod quis videt, eodem modo quo apparuerat, euenit. Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest.

29. Et licet omnes has spirituũ, quibus humanis rebus interfunt, atq; nobiscum agunt, communiones, Apparitiones dicere possimus: in illas tamen magis hoc nomẽ quadrare videtur, in quibus ipsi se sensibus exter-

externis, & maxime visui ingerunt: à quo etiam habent quod Visiones dicantur. Tum deinde proximum sibi locum vendicant, quas Imaginarias vocamus, De quibus etiam potissimum nobis sermo habebitur.

30. Sed tamen nõ quandocunq; se in sensus nostros insinuant, & præsentes esse certis etxernisque argumentis declarant, apparuisse putandi sunt Spiritus. Neque enim apparuit Deus populo legem exspectanti, cuius tamen præsentiam mons fumigans, voces, lampades, sonitus buccinæ testabantur (a): neque apparuisse dicimus Spiritum sanctum Apostolis, quando in linguis igneis eius gratiam perceperunt (b).

a *Exod.* 20.

b *Actuum* 2.

31. Certa oportet sit definitaque forma sub qua appareant; eaque aut naturæ, conditionique spirituum, aut officio quod executuri apparent, conueniens. Talem in Deo, Angelis, hominumque spiritibus humanam credimus; in dæmonibus autem (ni fallimur) quamcunque ciuscunque viuentis, &c.

32. Nempe species humana naturę spirituum humanorum conuenit, eaque sub diuersis formis in Dei atque Angelorum, quæ apud nos exercuerunt, & exercent officia, quadrat egregiè. At hanc & quãcunq; tandem aliam dœmones possunt induere, vt quorum versutia & nocendi studium non humanas solum artes, & bestiarum conatus accedit, verum multis etiam modis superat (c).

c *Iob* 41.

33. Quid quod nec sufficiat vt Apparitio dicatur, si quomodocunque se sub forma certa spiritus insinuent? Neque enim qui obsessum viderit hominem, se dœmonis visionem habuisse confitetur: oportet insuper, vt res quæ sensibus sese offert, spiritus representet & exhibeat, idem cum spiritibus nomen habere possit; atque nos ipsi idem obsequium & officium, quod ipsismet spiritibus exhiberemus, possimus præstare.

34. Hinc est, quod in apparitionis genere sit serpentis aspectus, quo se primis parentibus exhibuit, eisque vt legem Dei præuaricarentur, author fuit (d): non autem esse possit, visio columbæ super Christum, (e) & linguarũ ignearum super Apostolos. (f) Quoniam quod peccatum Moyses serpentis astutia in mundum inuectum asserit; hoc inuidiæ diaboli tribuit Sapiens: (g) at linguas igneas aut columbam neque Spiritum sanctum dicimus; neque in illis diuinum honorem reuerentiamq; Spiritui sancto exhibemus.

d *Gen.* 3.

e *Matth.* 3.

f *Actor.* 2.

g *Sapient* 2.

35. Ad Corpoream igitur visionem, oportet præter speciem concurrat corpus externum, aut certè vehementissima sensus alia quadam ratione immutatio: oportet quodam modo corpori se spiritus vniat, & non vt rector tantum assistat: oportet ita vniat vt & operatio corporis spiritui, & nomen spiritus ipsi corpori quodam modo possit attribui. (b) Imaginaria paucioribus est contenta. Pauciſsimis illa, quam Intellectualem vocamus.

h *Thom.* 1 p. q. 51. ar. 2. ad. 2.

CAPVT III.

De Apparitionibus Dei, & præcipuè iis, quæ olim in veteri lege patribus exhibita fuerunt; quarum rationes & causæ expenduntur.

36. Diximus aliud esse apparitiones Spirituum, aliud quascunque, quibus per certa argumenta præsentiam suam testantur, manifestationes. Quo circa illud primum hîc constitutum sit, non semper Deum apparuisse, quando præsentem fuisse cognouimus.

37. Præsens fuit, quando de rubo Moysen vocauit, & vt populum in libertatem assereret, in AEgyptum misit (*a*). quando de nube loquentem, omnis populus audiuit (*b*). quando Abrahamum manus filij sanguine cruentare prohibuit (*c*). quando obediuit hominis voci, cæliq; cursum impediuit (*d*). quando tot annis in nube populo dux in terram promissam fuit (*e*). quando ante Heliam pallio vultum suum operientem pertransijt (*f*).

a *Exod.* 3.
b *Exod.* 20.
c *Genes.* 22.
d *Iosue* 10.
e *Psal.* 94.
f 3. *Reg.* 19.

38. Neque enim vno, sed multis sanè modis Deus hominibus præsens esse dicitur. Quandoq; præsentiæ suæ testes sunt signa atque portenta, quæ mirabilia in rebus excitat; aliquando hæc desunt, quando tamen non minus ipse nobis, quam nos nobis coniuncti sumus.

39. Est, inquiunt Theologi, in rebus omnibus per essentiam, per præsentiam, per potentiam (*g*). Iouis (inquit quidam, *h*) plena sunt omnia. In ipso mouemur, viuimus, & sumus (*i*). Cœlum (inquit) & terram ego impleo (*k*). & Thales Milesius Physicorum vetustissimus, prudenter obseruauit non factis modo, sed & cogitationibus humanis, Dei oculos interesse.

g *Super* 1. *sent.*
h *Verg. in Buc.*
i *Actuum* 17.
k *Ierem.* 32.

40. Inest quidem rebus, sed tamen vt locum nullum occupet, quia vacat corpore: neq; loco vllo definitur, quod angelis accidit: nec loco continetur, quia continet loca omnia, ijsque tribuit, tum vt sint, tum vt res in se comprehensas contineant.

41. Sic est in rebus omnibus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia mundi creatrix, sine labore regens sine onere continens mundũ & omnia ac singula quæ in eo sunt: nõ parte tantum aliqua, quasi in dimidio mundi sit dimidiatus, & in altero dimidio altera sui parte: sed simul in cœlo totus, simul in terra totus, atq; ita in alijs totus, & in se ipso totus.

42. Sed tamen præter hunc modum, quo omnibus adest, inest & præest; alius est diuinior. Longe enim est ab impiorum cogitationibus (*l*). prope est omnibus inuocantibus eum in veritate (*m*). pollicetur se non cum omnibus, sed cum quibusdam habitaturum (*n*). Inter ipsos mansionem facturum (*o*), ambulaturum (*p*), & cænaturum (*q*). Quia scilicet aliquorum defensionem & tutelam suscipit: aliquorum gratiam conatusque promouet. Veruntamen quibus non adest per gratiam, adest per vindictam.

l *Prou.* 15.
m *Psal.* 144.
n *Leuit.* 26.
o *Ioan.* 14.
p *Leuit.* 26.
q *Apocal.* 3.

43. His modis Deus præsens est. Apparet verò cum aut diuiniore ratione mentem illabitur: aut (de quo apparitionum genere nobis ser-

mo

mo est) sub certa definitaq; forma se spectandum exhibet. Priori modo visus est admodum paucis, posteriori pluribus.

44. Apparuit in humana specie, teste D. Augustino (a), primo parenti Adam, quando post præuaricationem diuini præcepti venit exacturus rationem transgressionis (b). Apparuit Noe, ipsi secreta cordis sui exposuit, modum construendæ arcæ edocuit, & tandem in constructam inclusit (c). Apparuit in specie trium virorum Abrahę in conuali Mambre sedenti (d). Apparuit in Sodomis Loth, ipsumque vna cum filiabus ab incendio liberauit (e). Apparuit Iacob redeunti ex Mesopotania, & insiges posteris ipsius fecit promissiones (f). Apparuit & Moysi, quando in nebulam est ingressus, & populo à longe stante atque montẽ fumantem conspiciente, secretorum Dei factus est conscius (g).

a *Aug li. 2. de Trinit. c. 10.*
b *Genes. 3.*
c *Genes. 7.*
d *Genes. 18.*
e *Genes. 19.*
f *Genes. 28.*
g *Exod. 20.*

45. Sed & visus est, licet alia quadam ratione, sanctis Prophetis. Isaias vidit sedentem in throno altissimo (h). Ezechiel super Cherubin (i). Aspiciebã, inquit Daniel (k), donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli eius, quasi lana munda. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus.

h *Isaiæ 6.*
i *Ezechiel. 6.*
k *Daniel. 7.*

46. Et alia quidem atq; alia forma se exhibuit Deus. Nempe hac ratione vel se cognoscẽdum præbuit, vel voluit nos animi sui cogitationes, & cõsilia animaduertere. Nam maiestatis sapientiæq; inditia sunt thronus in quo visus, cani capilli & vultus grauis; animi verò sensa & cogitationes licebat obseruare, quando Adamum ob violatam legem (l), Cain ob cœdem fratris (m) grauiter perstringebat; quando Abrahamo familiarissimo vtebatur (n), quando cum Iacob luctabatur (o), &c.

l *Genes. 3.*
m *Genes. 18.*
n *Genes. 18.*
o *Genes. 31.*

47. Etenim quo rudis illa ętas assurgere per se non potuit, eo externis figuris erat adducenda: vt mente cognosceret, reuereretur, diuinosque honores conferret, quem oculis corporalibus præsentem intuebatur; cuius nutu cuncta administrari, prouidentia gubernari, virtute suos fines consequi obseruabat.

48. Voluit & singularem animi candorem, & quo humanum genus studio prosequeretur, Deus hac ratione ostendere, & (vt ita dicam) quasi aliquid de iure suo atq; maiestate remittere, & ad nostræ naturæ conditionem descendere: vt tanto magis sibi hominum corda deuinciret; quanto plura diuinæ liberalitatis erga se argumenta experirentur.

49. Voluit & attentiores reddere: atq; vt in salutem suam diligentius incumberent, diuinisque præceptis satisfacerent, his externis apparitionibus efficere: quando scelerum suorum vltorem etiam oculis corporeis conspicerent, eumque suis actionibus præsentem, & secretorum cordis inspectorem haberent.

50. Nec mouere debet, quod cum inuisibilis sit Deus, sæpe patribus visibiliter apparuisse memoretur. Sicut enim sonus, quo auditur sententia in silentio intelligentiæ constituta; non est hoc quod ipsa: ita & species, qua visus est Deus in natura inuisibili constitutus, non erat quod ipse. Veruntamen ipse in eadem specie corporali videbatur, sicut illa sententia in ipso sono vocis auditur. Verba sunt B. Augustini. (p)

p *Augustin. lib. 10. de Ciuitat. Dei, c. 13.*

CAPVT IIII.

Expenditur modus, quo Deus olim in veteri lege exhibitus est.

51. APparuit igitur Deus, & non vno, sed varijs modis, varijsque hominum generibus apparuit, sed & iustissimis de causis apparuit. Verum sit ne Deo tribuendum corpus tanquam proprium in quo apparuit; deinde si proprium nõ fuit, sit ne angelorũ ministerio effictum atque formatum, ipsique angeli Dei personam sustinuerint, & Dei officio functi sint: denique quanam ratione in efficto corpore Deus fuisse putandus sit, inquirendum est.

a *Anthropomorphitæ apud Epiphanium, & Melito lib. de Deo corpore induto, teste Theodor. in Genes. q 20.*

52. Fuerunt olim, qui Deo proprium tribuerunt corpus (*a*); partim propterea quod mens eorum altius quam sensus exurgere non posset; partim quod primus homo, corpore scilicet & anima constans, ad imaginem & similitudinem Dei factus dicatur (*b*): partim etiam quod passim humanis membris Deum sacræ literæ circumscribant (*c*).

b *Genes. 1.*

c *Gene. 8. Psal 32. Isai. 25, etc*

53. Verum opinio hæc, vel sola verbi. Diuini authoritate concidit. Pauli vox est (*d*). Beatus solus potẽs, rex regum & dominus dominantiũ qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem; quẽ nemo hominum vidit, sed nec videre potest. Idem docet, regi seculorum inuisibili & immortali, soli Deo tribuendam gloriam & honorem (*e*). Et vterque Ioannes testantur, Deum visum nunquam (*f*).

d *1. Timoth. 3.*

e *1. Timoth. 1.*

f *1. Iob 4. Ioan. 1.*

54. Quod si corpore quodam circumscriberetur Deus, figuramque referret humanam; esset finitus. At excelsior est cælo (inquit Iob) (*g*); & super stellarum verticem collocatur. Et Magnus (clamat Propheta) & laudabilis est nimis, & magnitudinis eius non est finis (*h*).

g *Iob 22.*

h *Psalm. 142.*

55. Præterea neque vbique poterit esse (*i*): neq; cœlum & terram implere (*k*). neque à concretione aliqua se vindicare; sed aut compositionem substantiæ & accidentium, aut certè multarum partiũ subire. Quę quia in rebus his creatis, imperfectionis argumenta sunt, non possunt in diuinam illam naturam conuenire.

i *Psalm. 138.*

k *Iere. 23.*

56. Quocirca meritò reijcitur figmentum Tertulliani, qui Deum aliud quoddam, qam nostra hæc sunt, corpus finxit (*l*). Explosa quoque iustissimis de causis hæresis Vadianorum, postea ab errore Anthropomorphitæ dictorum: qui humanis Deum membris, non secus atque homines mortales præditum esse, pernitiosè & impiè docuerunt (*m*).

l *Aug. de hæ res. c. 82.*

m *Niceph. lib. 11. c 14.*

57. Neque enim idcirco corpus est Deus, quia mens nostra corpori tanquam carceri inclusa, aut spiritum non concipit, aut corporeum fingit quoniam si quales formas mens nostra conciperet, tales essent ipsarum rerum; nequaquam is esset huius vniuersitatis, quem conspicimus decor & pulchritudo. Videmus nunc (inquit ille) per speculum in ægnimate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc cognoscam, sicut & cognitus sum (*n*).

n *1. Corinth. 13.*

58. Imago & similitudo, ad quam formati sumus, non corporis, sed mentis

mentis est. Pulchre Augustinus (a). Imago Dei, quo nihil melius est, ibi querenda & inuenienda est, quo nostra natura nihil habet melius, id est, in mente. Eo enim ipso, imago Dei mens est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest.

59. Præterea mens ipsa Trinitatem quodam modo effingit. In ipsa (inquit Augustinus (b) est Trinitas memoriæ, intelligentiæ, & amoris: atque hæc tria, non sunt tres vitæ, sed vna vita: nec tres mentes: sed vna mens, vna essentia: atq; singula, non singulis solum: sed & singula omnibus æqualia sunt. Deniq; & à singulis singula, & à singulis omnia capiuntur, vt pulcherrimè idem Augustinus explicat.

60. Nempe eam perfectionem præ cæteris omnibus in prima sui creatione, consecutus est homo: vt omnium omnino rerum etiam creatoris sui, quasdam imagines contineat. Vt non immerito à Philosopho rerum similitudo sit definitus; & in mundi meditullio propterea constitutus, quod omnium quæ in mundo sunt, sit particeps.

61. Quod verò certis definitisque membris Deus describatur: quod nunc vultus eius super faciētes mala (c): nunc oculi ad fideles terræ (d): nunc os locutum (e): nunc manus extensa (f): nunc caligo sub pedibus eius (g): nunc palpebræ interrogēt filios hominū (h): nunc ex vtero ante Luciferum gignat (i): hisq; similia ipsi tribuantur: non infirmitatis diuinæ sunt argumentum; sed nostræ imbecillitatis subsidium. Sic nimirum ad maiestatem illam cognoscendam quoquo modo promouemur.

62. Nisi fortè Deum velis dicere vrsum: quia clamat Propheta (k): factus est mihi Dominus vrsus. Nisi vermem: quia in persona Christi loquitur Dauid (l), ego autem sum vermis & non homo. Nisi agnum quasi occisum: quia ita se dilecto Ioanni exhibuit (m). Nisi sexcenta his similia velis affirmare, à quibus S. Scriptura non abhorret.

63. Ergo caput cum Deo tribuitur, ipsam diuinitatis essentiā, cui tanquam capiti subiecta sunt omnia, intelligimus. Sic os Dei sermonem significat, Palpebræ occulta & incomprehensibilia iudicia, Facies cognitionem diuinitatis, quam expetebat qui dicebat, Ostende nobis faciem tuam (n). Manus nunc ipsius potestatem (o): nunc flagellum & grauem animaduersionem (p). Sic aures habere dicitur, quia audit omnia: oculos, quia nihil occultum ipsi, nec vlla coram eo inuisibilis creatura (q).

64. Eadem analogia qua membra; etiam actiones, quæ non nisi corporibus conuenire possunt, Deo tribuit scriptura. Dicitur abscondere faciem (r): sedere super sedem sanctam suam (s): descendere ad homines (t) ambulare inter bonos (u): &c. quibus nostræ magis infirmitati consulitur; quam Dei natura & conditio exprimitur. Vnde bene B. Ambrosius (x). Non irascitur (inquit) Deus quasi mutabilis: sed irasci dicitur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruit offensam; tanquam eo vsq; increuerit culpa; vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut passione vlla; prouocatus videatur ad iracundiam.

a *Aug. lib. 14. de Trini. c. 12.*
b *Aug lib. 11. de Trini. c. 11.*
c *Psal. 33.*
d *Psal. 100.*
e *Isaiæ 1.*
f *Exod. 3.*
g *Psal. 17.*
h *Psal. 10.*
i *Psal. 109.*
k *Threnor. 3.*
l *Psalm. 21.*
m *Apocal. 13.*
n *Psalm. 79.*
o *Ierem. 18.*
p *Sophoniæ 1.*
q *Hebræo. 4.*
r *Exod. 31.*
s *Psal. 46.*
t *Gene. 18.*
u *Deut. 23.*
x *Ambros. li. de Noe & arca.*

a *Brun. de Ima.*

65. In his omnibus atque similibus locum habere debet: quod Eucherius his verbis sic habet (a), Vbicunque (inquit) sacra scriptura sparsim per diuinos libros in Deo motus animę, seu humana membra describit: id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures & cætera membra: siue motus animæ, id est, iram, furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia: non carnaliter iuxta historiam à recte intelligentibus scienda sunt, sed spiritualiter omnia de Deo intelligenda & confitenda.

b *Chrys. super Ioan. hom. 14. in illud, Deũ nemo vidit.*

66. Hinc pulchrè Chrysostomus (b) omnes apparitiones veteribus factas diuinæ permissionis, non ipsius substantiæ docet fuisse. Quoniam (subiungit) si ipsam vidissent, nulla ex parte differentem vidissent: quippe quę simplex & pura est, non composita, non descriptibilis: Non iacet, non stat, non ambulat. Hæc enim omnia corporis sunt. In eandem sententiam pulchrè Augustinus (c). Omnes (inquit) visiones Dei quæcunq; mortalium præbebantur aspectibus; & ex quibus fiebat sonus, quo mortalis attingeretur auditus, sic exhibebantur assumpta, sicut Deus specie qua volebat; vt non in ijs ipsa vllo sensu corporis sentiretur diuina natura, quæ inuisibilis vbiq; tota est, & nullo continetur loco.

c *Aug. qq. super Exod lib 2*

67. Proprium igitur corpus Deus non habet; sed alienum, quando apparuit. Queris igitur, vtrum per se alienum assumpserit, & negotio suo aptarit; an angelorum ministerio vsus, per ipsos fecerit, quicquid per se fecisse voluit dici? Certè nobis illorum probatur sententia, qui omnes has Dei, de quibus diximus apparitiones, angelorum ministerio exhibitas esse, & perfectas asserunt.

apparuisse Deũ ęq; min. sui

68. Huic sententiæ facit fidem sacra scriptura, quæ eadem nunc angelis, nunc Deo tribuit. Legitur Deus apparuisse Abrahæ in cõualli Mambre (d), hospitioque exceptus; & eodem exemplo hospitalitatem suadet Apostolus, quasi angelis sit præstitum beneficium (e). Exhibuit se, quando Moysi legem tradidit (f); & B. Stephanus Iudæos legem in dispositione angelorum accepisse pronunciat (g). Audiuimus Dominum primum loquentem Abrahamo (h), Accipe filium tuum dilectum quem diligis, &c. & paulo post obseruamus angelum dicentem, Ne extendas manum tuam super puerum (i). Vbi, quia non prohibet angelus, quod præcipit Dominus: non prohibitione solum; verum etiam præceptum ab angelo profectum esse putamus.

d *Gene. 18.*
e *Heb. 13.*
f *Exod. 20.*
g *Actor. 7.*
h *Gene. 22.*
i *Ibid.*

k *Aug contra Adamantum Manichæi discip cap 9.*

69. Quocirca bene D. Augustinus (k) eadem in angelos quadrare & Deo conuenire ostendit. Quemadmodum enim (inquit) verbum Dei quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem; sic & in angelo ipse loquitur, quando veritatem angelus annunciat. Et recte dicitur, Deus dixit. &, Deus apparuit. Et item recte, Angelus dixit. &, Angelus apparuit; Cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei; hoc ex persona seruientis creaturæ.

70. Sed & Scripturę mos est, vt rerum imagines, iisdem nominibus insigniantur, quibus ipsęmet res appellari solent. Cœlestium potestatum

im

imagines,, quæ ex metallo formatæ,& super arcam testamenti collocatæ erant, nomen Cherubin retinent (a). Rex Pharao, qui spicarum atq; boum imaginem, futuræ sterilitatis nuncias viderat dormiens; nihil se nisi spicas & boues vidisse testatus est (b). Et Pincerna Pharaonis in carcere cum Ioseph existens, vitem se in somnis vidisse, dixit, in qua essent tres propagines; & tamē nec vitem nec propagines, sed rerum illarum imagines vidit (c). Et nos quoq; cum pictam videmus tabulam, eorum ipsam nominibus compellamus, quorum formas & species refert.

a *Exod. 25.*

b *Genes. 41.*

c *Ibidem.*

71. Non tamen dicimus hæc Dei potentiam excedere, absit. Nec diuinam eius maiestatem minimè decere, neque tales nobis obesse potuisse apparitiones. Nam quod per angelos potuit; quid prohibuit, quin per se ipse potuerit? & quæ maiestas integra manſit; quando in vnitatē substantiæ humanas miserias suscepit; violata fuisset, si in assumpto corpore se hominibus exhibuisset? Tantū verò abest, vt hæc nobis diuina obfuisset dignatio, vt pluribus nos sibi liberalitatis argumentis deuinxisset.

72. Corpus ergo nō fuit Dei, in quo est visus, sed nec ipsius; verum angelorum opera effictum. Qua verò (dicit aliquis) ratione in efficto corpore fuisse putandus est? Certe longe alia quam angeli; longe alia quam humani spiritus; qui se aliquando exhibuerunt. Fuerunt illi ita corpore in quo apparuerunt definiti, vt extra illud non essent: at Deum non solum non possumus corpore aliquo, sed neq; toto mundo definire.

73. Quid, quod nec vlla actione alia huic, in quo apparuisse dicitur, corpori Deus affuit, quā quibuscunque alijs naturalibus substantijs adesse solet? Nam quidquid in hoc negotio factū est, angelorū perfectum est opera. id solum habet Deus, quod apparere dicatur. Quocirca sicut Imperator in sua ipsius imagine, quam pictor exhibet, efficit nihil, cum tota quantacunque sit, opus sit pictoris Imperatorem exhibens, ita in suis apparitionibus, quæ quædam ipsius imagines sunt, Deus singulare per se fecit nihil.

74. Angelorum ergo dicis potius, quam Dei visiones esse dicendas. Essent quidem, si res ab effectoribus, non autē à formis, & ipsarum imaginibus nomina sortirentur. at nō res id dicuntur à quo fiunt: sed quod sunt, quodue repræsentant. Imago Imperatoris non pictor, sed Carolus V. dicitur. Quod si idcirco angelorum apparitiones has dicere volumus, quia angelorum in his opera nō minima est; omnes omnino oportet angelorum esse dicamus, cum sine ipsis vix vlla perficiatur.

75. Iterim tamen, etsi in corpore, quo apparuisse dicitur Deus, per se efficiat nihil; in illo tamen quo sese exhibet, suæ præsentiæ testimonia quandoque obseruantur talia: quę non angelorum, sed Dei tantum opera, licet interim angelis ministris, effici possunt. Talia sunt intellectus illustrationes, affectus inflammationes, mirabiles animorum motus, miraculorum effectus, aliaque his similia, quæ nulla nisi diuina virtute perficiuntur.

CAPVT V.

De varijs apparitionibus Dei, quæ in noua lege, & tempore gratiæ fuerunt factæ.

76. HACTENVS quidem de ijs apparitionibus, quæ quondam exhibitæ fuerunt. At, qui multifariam, multisque modis olim locutus patribus; hic nouissimis diebus istis locutus est nobis in filio (a). Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo (b).

a *Hebr. 1.*

b *ad Tit. 2.*

77. Apparuerunt etiam dispertitæ linguæ Apostolis, tanquam testes certissimè Spiritus sancti præsentiæ (c). Et apertis cœlis, Deo patre testimonium filio perhibente, visus est idem Spiritus sanctus, in specie columbæ super Christum à Ioanne baptizatum (d).

c *Actuum*

d *Matth. 3.*

78. Verùm has qualescunq; manifestationes, quibus se, vel Filius, vel Spiritus sanctus exhibuit; non eodem modo, quemadmodum illas superiores (de quibus diximus) ad apparitiones spirituum referri putamus; licet & Filius Dei, spiritus sit, & S. Spiritus, sit spiritus.

79. Certe Christus non ea se ratione corpori coniunxit, qua Patriarchis olim se exhibuit in corpore Deus. Neque enim Deus in vnitate hypostasis vnquam assumpsit corpus; neque ita sibi vniuit, vt reuera quod videretur, esset. Sed neque vitales erant, quæ in ipso obseruabantur operationes; neq; indiuiduam societatem cum corpore inibat: Quæ tamen, vt de Christo confiteamur omnia, & S. Scriptura (e), & grauissimorum conciliorum authoritas (f), & sanctissimi Patres vnanimi consensu docuerunt (g).

e *Ioan. 1. etc.*

f *Nicenū. etc.*

g *Pleriq; om.*

80. Quemadmodum (inquit Athanasius) (h) caro & anima vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus. Vnus non conuersione diuinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.

h *Athanas. in Symbolo.*

81. Hinc est, quod nec ad spirituum apparitiones referamus, illas Christi manifestationes; quibus se multis modis post resurrectionem in glorioso corpore; & Apostolis, & sanctis mulieribus spectandum tangendumq; exhibuit. Quoniam qui prius vt verus homo apparuit in nostra carne mortalis; ille post triumphatum diabolum idem, in eadem carne visus est immortalis. Videte, inquit, manus meas & pedes, quoniam ego ipse sum (i).

i *Luc. 24.*

82. Illa vna, qua nouissime post resurrectionē Paulo tanquā abortiuo se ostendit (k): in apparitionum numero à quibusdam reponitur. Neq; enim putant potuisse fieri, vt aut eodem tempore, vnum idemque numero Christi corpus in duobus locis extiterit; in cœlo scilicet, (quod fides docet,) & vbi ab Apostolo videbatur: aut, quod Apostolus in terra existens acie oculorum cœlos penetrarit, & ad dextram Dei patris sedentem filium conspexerit.

k *1. Cor. 15.*

83. Nos

83. Nos quamuis horum sententiam temerè non damnemus; illorum tamen magis probamus, qui hanc Christi Apostolo factam manifestationem eodem modo, quo alias perfectam esse arbitrantur: & idcirco quemadmodum nec alias, ita nec hanc ad Apparitiones, de quibus disputatio est, referimus.

84. Omninò, vt Christum in propria persona, hoc est in suo corpore atque anima sese Apostolo exhibuisse dicamus, veritas resurrectionis, quam hac manifestatione idem Apostolus astruit, postulare videtur. Quem enim primum asserit secundum scripturas resurrexisse: & postea docet visum esse Cephæ atque vndecim, præterea quingentis simul fratribus; Iacobo item & Apostolis omnibus: eundem ipsum sibi nouissimè visum esse affirmat.

85. Hanc sententiam confirmat modus loquendi, quo hæc Christi Apostolo facta manifestatio describitur. Barnabas narrat Apostolis, quomodo in via Dominum viderit Paulus. Ananias, Sancte frater, inquit, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas. Ipse demum Apostolus Apostolatum suum ab isto vero veri Domini aspectu comprobans ait: Nónne Dominum vidi? *Act. 9.* *Ibidem.* *1. Corint 9.*

86. Interim tamen modus Apparitionis, quo in veteri testamẽto Deus vsus est, à Christo non omninò alienus, quin sæpissimè, ni fallimur, frequentatus. Sic apparuit Petro Romam relinquenti, & necem iam sibi paratam fugienti, si Athanasio, Egesippo, & Ambrosio credimus (*a*). Apparuit post grauissimas à dæmonib⁹ inflictas pœnas Magno Anthonio, & se certaminis, quod cum diabolis susceperat, spectatorem extitisse, testatus est (*b*). Apparuit inter horrenda sacrificij nouæ legis mysteria Gregorio magno (*c*). Apparuit in tribunali ciui Hipponensi, & ab ipso graues pœnas, quod iusiurandum illi detulisset, quem pieraturum nouerat, exegit (*d*).

a *Athan. Apolog. de fuga. Amb. orat. de Basili traden. Egesi. lib. 3 de excid Hier.*
b *Athanas. in vita Anton.*
c *Molan. de pictur. cap. 61.*
d *Aug ser 119 in sermon. Lo nanij nuper impress.*

87. Hoc modo putatur astitisse Apostolo Paulo, vt Actuum habet historia (*e*): eique animum ad omnia fortiter subeunda, quæcunque ab aduersarijs inferrentur, addidisse. Eodem modo se Dominum vidisse, idem Apostolus narrat discipulis, à quibus nocte per murum demissus, hostium suorum declinauit furorem (*f*). Eodem, & Stephanus intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris eius (*g*).

e *Actuum 23.*
f *Actuum 9.*
g *Actuum 7.*

88. Verum in effecto sic angelorum opera corpore, præter nomẽ & formam repræsentãtem nihil fuit, quod Christi esse dicere possimus. Cum enim in ipso sint, diuinitas, corpus & anima: diuinitas effecto corpore non potuit definiri: corpus peregrinum angelorum est opera effectum, proprium manet ad dextram Dei patris: anima ab hoc separari non potest. Quidquid igitur hic est, angelorum opus est.

89. Hinc est quod angeli, atque humani quidam spiritus multo rectius apparuisse dici possint, quam vlla diuinarum personarum. Quoniam quod in has non conuenit, vt αὐτοπροσώπως adsit corporibus, in quibus

exhibentur: hoc in angelorum semper, in hominum verò apparitionibus plerumque vsu venire potest.

90. Sed & alijs modis se Christus pijs hominibus spectandum exhibuit: & non in externa solum assumptaque forma: nempe sui speciem in hominis imaginationem, (licet etiam angelorum ministerio) imprimens, & sic se cognoscendum præbens. In hoc genere illæ videntur reponendæ apparitiones, quæ in Apostolorum actis referuntur; vbi per noctem Dominus visus est & Paulo (*a*), & Ananiæ (*b*). Et hunc quidem misit, vt Paulo mysteria religionis Christianæ exponeret; illum verò hortatus est, nil metueret aduersarios, audacter verbum Domini prædicaret, esse multos, quos oporteret Christianis Sacramentis initiari.

a *Actum* 18.
b *Actum* 9.

91. Vtrum verò filius Dei vnquam ante assumptam carnem apparuerit, disputant plerique. Illud certum, grauiter coecutiuisse Arrianos (vt B. (*c*) Ambrosius & Augustinus testantur) quando olim in substantia sua visum, & in varijs se figuris hominibus exhibuisse, idcirco docuerunt: vt Christianis imponerent, & filium mutationi subiectum, & patri non per omnia æqualem astruerent.

c *August. de Trin. li. 2. c. 9. Ambros. li. de fide cõtra Arrianos cap. 9.*

92. Placet autem, quod idem Augustinus his verbis sic habet (*d*). Ipse filius, qui est verbum Dei, non solùm nouissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est; sed etiam prius à constitutione mundi, cui voluit de patre annunciauit, siue loquendo, siue apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam. Hoc confirmat quod pater dans regnum, filius verò accipiens, apparuerunt Danieli (*e*) in specie corporali (*f*). Aspiciebam (inquit) donec throni positi sunt, & vetustus dierum sedebat. Et paulo post. Aspiciebam in visu noctis, & ecce cum cœli nubibus, quasi filius hominis (veniens) erat & vsque ad veterem dierum peruenit.

d *Aug. contra Adamant. Manichæi discip. cap. 9.*
e *Daniel. 7.*
f *Aug. lib. 2. de Trinit. ca. 17. & 18.*

93. Apparuit igitur olim Deus Pater; apparuit quoque subinde Filius, verum Spiritum sanctum vix vnquam apparuisse reperimus. Neque enim sibi vllo modo columbam quæ super Christum descendit (*g*), neque linguas igneas, quæ super Apostolos sunt visæ (*h*), vniuit, aut his exhibitus est; vt apparuisse dici possit. Inditia hæc erant ipsius præsentiæ, & quodammodo quid in hominibus operaturus erat, demonstrabant.

g *Matth. 3.*
h *Actum 2.*

94. Venit, inquit Bernardus (*i*), super Apostolos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legem igneam, linguæ igneæ prædicarent. & alibi (*k*). Spiritus super Apostolos in igne apparuit propter lumen pariter & ardorem. Quos enim repleuerit: & Spiritu feruere, & in veritate cognoscere facit.

i *Bern. serm. 1. in festo Pentecost.*
k *De eod. festo serm. 2.*

95. Sic quod in specie columbæ super Christum visus sit descendere, ad mysterium inquit Chrysostomus (*l*) pertinet omnium, qui postmodum fuerunt baptizandi: vt scirēt ideo corporali specie Spiritum sanctum descendisse super Christum; quia post in omnes baptizandos, inuisibiliter sua dona esset effusurus.

l *Chrysost. homil. 4. in Matthæum in opere imperfecto.*

96. Vtram-

96. Vtramque speciem pulchre & breuiter explicat S. Augustinus his verbis (a). Duobus (inquit) modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum sanctum, scilicet per columbam super dominum baptizatum; & per ignem super discipulos congregatos. Ibi simplicitas, hic feruor ostenditur. Ergo, ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratus est: & ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratus est.

a *Aug tract. 6. in Ioan.*

CAPVT VI.

De bonorum Angelorum apparitionibus, quas veras esse demonstratur; licet ipse non omnibus conueniant.

DE Angelorũ apparitionibus multiplex quæstio est. Cum enim ipsorum ordines varij sint (b): hoc primum quæritur, vtrum ex singulis ordinibus, an tantum ex certis aliquibus sese hominibus exhibeant. Quæritur, quot se nobis atq; formis offerant. Quas qualésue operationes in assumptis corporibus exerceant: & quibus de causis præter naturæ suæ ordinem rebus humanis intersint.

b *Thom. 1. p. q 108.*

98. Nam rebus nostris in assumptis corporibus quandoque interesse extra controuersiam est. Id Scriptura clarissimis verbis docet: testatur id experientia; & ratio certissima confirmat; denique probat omnium recte philosophantium sensus atque consensus.

c *Genes. 18. 28. 32. &c.*

99. Scriptura apparitionum Angelorum non vno in loco, sed varijs mentionem facit. Et omni tempore, omni loco, omniumque generum hominibus ipsos apparuisse, tot suggerit exempla, quot possunt sufficere ad hanc rem etiam Barbaris persuadendam.

d *Actuum 7.*
e *Actuum 5. & 8. &c.*
f *Luc. 1. 2. etc.*

100. Apparuerunt stati ab orbe cõdito primis humani generis, post Deum authoribus; quando Dei personam sustinuerunt, & varijs rationibus cum Patriarchis egerunt (c). Et lex Dei non hominum tantum, sed & Angelorum ministerio ad Iudæos perlata est (d). Denique Actuum Historia (e), atque Euangelia (f) (quæ principium temporis gratiæ explicant) docent; plurima per Angelos præstita esse, & perfecta.

g *Genes. 32.*
h *Iudic. 6.*
i *Lucæ 1.*
k *Lucæ 22.*
l *Daniel. 3.*
m *Actuũ 12.*
n *Matth. 28.*

101. Et nunc quidem ruri apparuerunt (g), nunc inter priuatos parietes domi (h): nunc in templo (i), nunc in hortis (k): nunc in fornace accensa (l), nunc in carceribus (m): nũc in sepulchris mortuorum (n), nunc in locis desertis, & ab omni hominum frequentia saparatis (o).

o *Genes. 21.*
p *Acto 10.*
q *Lucæ 1.*
r *Acte. 12.*

102. Sed & omnium generum hominibus sese spectandos exhibuerũt. Gentibus inquam (p), Iudæis (q), & Christianam fidem profitentibus (r): mulieribus (s), & viris (t): hominibus integræ & inculpatæ vitæ (u), atq; barbaris (x): ætate prouectis (y), & quorũ adhuc tenerior est ætas (z): nobilibus & generis splendore claris (a), atque ignobilibus (b).

s *Matth. 28.*
t *Acto. 13.*
u *Lucæ 1.*
x *2. Mach. 3.*
y *Genes 18.*
z *Daniel. 3.*
a *2. Mach 3.*
b *Genes. 21.*

103. Confirmant etiam hanc rem non ex sacris solum fontibus hausti, verum etiã aliunde petitæ historiæ. Gelasio primo Pontifice in Apulia ad radices Gargani montis, (quem locum incolunt Sipontini) Archangeli Michaëlis, fuit illustris apparitio (c), eumque sæpius hominibus visum,

c *Surius tom. 5. in Michaël.*

visum, veteri Sanctorum traditione comprobat Romana Ecclesia. Cecilia Angelorum visione fruens, rosarum liliorumque media hyeme vernantium odoramentis, quæ ipsi de Paradyso allata fuerant, Valerianum & Tiburtium conuertit (a). Mariam Magdalenam ab Angelis in cœlum tolli, & iterum loco suo restitui, solitarius quidam vidit Presbyter (b). Prætextata nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumq; mutauit, (verba sunt Hieronymi) (c) & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens, & virginis propositum, & matris desiderium, & ecce tibi, eadem nocte cernit in somnis veniisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tu ne ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? Quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata, quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus.

a *Marulus li. 6 c. 16.*

b *Marulus li. 10. c. 16.*

c *Hieronym. ad Letã de instituitio filiæ.*

104. Res hæc vires Angelorum non excedit: vt qui in corpora vim habent summam: neq; minuit dignitatem, sed illustrat maxime: quando hac ratione primum illorum potestas, deinde studium bene de nobis merendi eluceſcit: Neq; rebus humanis incommodat: quando grauissimæ causæ sunt (vt dicemus) cur hoc Angelorum ministerio Deus vti decreuerit.

105 Rebus igitur humanis angelos interesse posse, atque identidem in aspectabili forma interfuisse, extra controuersiam est. Omnibus verò num hoc conueniat, ex misionibus, quas scriptura ipsis tribuit (d) colligi posse videtur. Certe cum ad externa munia obeunda non mittantur omnes (e), sed quidam in vnica Dei contemplatione atq; fruitione occupentur; alios apparere posse putamus, alios verò omninò mortalium conspectum fugere.

d *Exod. 23.*

e *Dionys. c. 8. cæleſt hierar.*

106. Et quidem inferioris ordinis omnes, atq; etiam medij seu secundæ hierarchiæ mitti, præter illos quos Dominationes vocamus, ratio nominum, quibus compellantur, insinuat; quę, quod quædam in his inferioribus exerceant, & mortalium causa occupentur, importat. reliquos autem, ab hoc officij genere immunes esse, tum eadem nominis ratio, tum grauissima B. Dionysij commonstrat authoritas (f).

f *Ibid.*

107. Quamobrem ex superiorum quatuor ordinum Angelis nulli corpora assument. Sed neque ex inferioribus ordinibus omnes. Licet enim nullos assumere putemus, quos non item mitti sit necesse; non tamen quicunq; mittuntur, corpora assumere dicendi sunt: quoniam & rebus nostris adesse possunt, & pro officio suo illas administrare, licet se mortalium oculis non offerant.

108. Angelos apparuisse legimus atq; archangelos (g): Principatus verò Virtutes atq; Potestates non item. Et Angelos quidem communiora magis officia subiuisse (h), secretiora autem Dei consilia per archangelos patefacta esse & perfecta, sacra perhibente eloquia (i).

g *Thesi 102.*

h *Thes. ead.*

i *Luc. 1. Daniel. 10.*

109. Quod

109. Quod si (quo diuinius nullum opus habet Christianitas) incarnationis mysterium archangeli ministerio, qui se virgini in humana specie exhibuit, Deus voluit reuelare (a): quid opus est asserere, ad inferiora minusque excellentia munia subeunda, superiorum ordinum spiritus in humanis corporibus apparere?

a Greg. homil. 34. in Exod.

110. Nisi forte, quia Seraphin missus dicitur ad prophetæ labia purganda (b): idcirco etiam supremos quis mitti, & externa specie se spectandos exhibere arbitretur. Verum doctissimus vir Dionysius (c) hunc etiam inferioris ordinis Angelum fuisse confitetur, nomenque superiorum consequutum aut ab officio, quod ad incendendum Prophetæ labia accesserit; aut quod superioris ordinis Angeli authoritati in hoc negotio functus sit.

b Isaiæ 6.

c Dionys. c. 13. cæl. hierarch.

111. Verum quod quibusdam tribuimus, vt nostris rebus intersint, non ita de alijs negamus, quasi hoc vel viribus ipsorum repugnet, vel conditionem nequaquam deceat. Possunt profecto omnes apparere. vt tamen omnes appareant, diuinæ prouidentiæ ratio rebus insita, permittere non videtur.

CAPVT VII.

Explicantur modi & rationes, quibus boni Angeli apparuerunt.

MOdus quo apparent Angeli varius est. Nam vel in assumpto corpore se exhibent, vel propria vi, qua pollent, maxima, sui species in sensibus efficiunt, & in ijs se nobis offerunt.

112.

d S. Thom. 1. p. q 51. ar. 2.

113. Fuerunt qui primum apparitionis genus reijcerent (d) nullamque putarent contigisse per corpoream visionem, quaid quod cernitur extra videntem est. At vera fuisse corpora, in quibus quandoque spiritus cœlestes, hominum se sensibus obtulerunt, docet B. Augustinus (e) illorum exemplo, qui Abrahæ in conualli Mambre (f); & item Loth in Sodomis (g) apparuerunt, & ab illis hospitio excepti. Dei consilia patefecerunt.

e Aug. lib 15. de Ciuit. Dei. c. 23.

f Genes. 18.

g Genes. 19.

114. Sed & quæ sub imaginationem cadunt, ita illi cui reuelatio contingit, exhibentur: vt ad aliorum notitiã peruenire non sit necesse. iam verò Abrahæ ita se exhibuerunt Angeli, vt & tota familia ipsos intueretur: & qui Loth authores fuerunt, vt Sodomorum consuetudinem relinqueret, impiorum conspectum non fugerunt.

h Bernard ser. 5 in Cantica.

i Aug. lib. 3. de Trinit. c. 1.

k Philo lib. de Opificio 6. dierã Orig. in 1. lib. periarch. Lactant. Basilium et omnes fere sui temporis.

115. Vtrum verò ex inferioribus elementis peregrina corpora assumant, eaque in quaslibet corporales species vertant; an potius propria quædam sua transforment, & ad id quod agunt, accommodent, à se non vult quæri D. Bernardus (h), mauultq; ignorantiam suam fateri, quam temere in re difficili quippiam definire. Sed & id vires ingenij sui excedere putat B. Augustinus (i); vt qui grauissimos authores secutus (k), tam bonos quam malos spiritus subtilia corpora, & quę magis ad agendum quam patiendum sint apta, dicat habere (l).

l Aug. lib. 2. de genes. ad lit. c 7 lib 3. de Trinit. c. 1. in Psal. 85 & 145 lib. 11. de

116. Verum qui ab hac sententia cum non minus insignibus authori-

Cinit. cap. 23. &c.
a Dionys. cæl. hie. c. 1. Chrys. hom. 22. in gen. Cyril. lib. 4. cõ. in Ioan. cap. 16.

bus (a) discedunt, & idcirco omni corpore exuunt Angelos, quia neque subsistendi, neque intelligendi, neq; se ipsos mouendi gratia, vllo indigent: non ipsorum tenuiora indensari, & sic ad hominum sensus accommodari; sed aliena siue peregrina ex elementis formari magnis rationibus commonstrant.

b Thes. 3. c Thom. 1. p. q. 51. ar. 2. ad. 2.

117. Vera igitur, licet peregrina fuerunt corpora, in quibus spiritus Angelici hominibus visi sunt. His autem non eo coniunguntur modo, quo se noster animus corpori vnit, tanquam ipsorum essent formę (non enim corpora, sed spiritus diximus esse (b) Angelos) neq; in vnitatem hypostasis, quo modo Christus humanam naturam, illa assumunt (non enim Angelos dicimus esse homines, quando in humana specie apparent). Sed neque ita naturaliter illis adhærent, vt vicem naturæ quasi subeant, quemadmodum intelligentias cum cœlo coniungimus: adde, quod neq; vt motor tantum ei, quod mouetur adsunt (c); nisi omnia ab angelis assumi velimus dicere, quæcunque ab ipsis mouentur corpora. Vniuntur vt motor, quem ipsum quod mouetur, quodam modo repræsentat & cognoscendum exhibet.

d Thom. 1. p. q 51. ar. 2. ad. 3.

118. Assumpta verò corpora non prius, ea specie atque forma fuerunt, qua postquam assumpta sunt, exhibentur: sed simul & assumuntur & figurantur (d): atque ab eodem à quo assumuntur, formas figurasque recipiunt.

e Thom. 1. p. q. 51. ar. 2. ad. 3.

119. Figurantur autem & efficiuntur plerunque non ex aqua & terra, quia non ita subito ex hominum sensibus se subducere possent, quemadmodum se nostris sensibus subtrahunt Angeli: neq; ex igne, quia circumquaque cuncta depascerent: sed ex aëre, quem sua virtute condensant, & ad quascunque formas volunt, componunt (e).

120. Vbi verò semel assumpta fuerunt corpora, non perpetuis temporibus retinentur; sed statim, postquam munia sua expleuerũt, deponuntur: & in priorem formam, non iam Angelorum, aut Dei virtute, sed naturali prorsus redeunt; non secus, atque calefacta aqua infrigescit.

121. Potest nihilominus fieri, vt perpetuis temporibus illa retineant, possunt & ex alijs elementis assumere. possunt quoque talia assumere, quibus ipsi non sua virtute formas dent, sed à quibus mutuentur. Hic primus modus.

f Thom. 1 p. q 110 ar. 3. g Arist. lib. de som. c. 3. h Thom 1 p. q. 111. art. 3. & 4.

122. Alter modus quo se nõ in assumptis corporibus exhibent, sed sensibus tantũ insinuant, duplex est: quemadmodum & duplex sensuum, in quos vires suas exercere possũt, ratio est. Quandoque interioribus sensibus, imaginationem intelligo; quandoq; exterioribus percipiuntur.

123. Cum enim in corpora potestatem habeant Angeli (f), & apparitiones imaginarias ex horum motu frequẽtissimè oriri etiam Aristoteles doceat (g): cumq; sensus non solũ ab eo moueatur; quod extra ipsum est; verum etiam à varijs formis, quæ simul cũ perturbatis spiritibus atque humoribus in sensus illabuntur: sequitur Angelorũ vires non excedere, vt & in imaginationẽ hominis se insinuent, & itẽ in humoribus, suas formas imprimant, sicq; sensus exteriores occupent (h).

124. In

124. In imaginationem nunc dormientibus nobis, se insinuant, cuius exemplum ille præbet, qui Ioseph apparuit, eique vt Herodis furorem declinaret, author fuit; nũc vigilantibus; vt docetur illorum exemplo, qui phreneſi capti res miras præſentes eſſe ſibi certiſsime pollicentur (a). At in exteriores ſenſus nunquam illabuntur, niſi omnis procul abſit ſomnus.

a *Aug. de cura pro mortuis agenda, c. 12.*

125. Quandocunque verò & quomodocunque in aſſumptis corporibus apparent, ſuamque & non Dei perſonam ſuſtinent; dignã ſemper ſe ſuoque munere exequendo formam aſſumunt, humanam dico & non aliam. Conuenit hæc ipſis, quia inter omnes præſtantiſsima eſt. conuenit & ipſorum officijs; quia in corporibus talia exercent, quæ aut per ſolos homines debent, aut per ſolos poſſunt, optatos fines conſequi.

126. Eandem officiorum rationem eſſe putamus, cur non in ſpecie muliebri, ſed virili; non infantis aut pueri, ſed maturioris ætate, ipſos ſemper apparuiſſe legamus.

127. Quando verò in viri figura ſe aſpectabiles exhibent, non ſimili ſemper forma vtuntur, nunc hanc habẽt, nunc illam, prout officiorum diuerſitas requirit. Huius argumentum eſt, quod alios obſtupuiſſe legamus ad primum Angelorũ intuitum (b), alios nihil commotos (c), alios non ferentes ipſorum conſpectum in terram corruiſſe, licet etiam leonibus fuerint formidabiles (d).

b *Lucæ 1.*
c *Ibid.*
d *Daniel 10.*

128. Angelus qui apparuit Ezechieli (e), videbatur vir indutus lineis, & atramentarium ſcriptoris habere in lumbis. qui mulieribus poſt glorioſam Chriſti reſurrectionem, in veſte fulgenti (f). qui Machabeo, in veſte candida, auream haſtam vibrans (g). qui ſalutaturus intrauit virginem (ſi Auguſtino credimus) (h) facie rutilanti, veſte choruſcante, ingreſſum mirabili, aſpectu terribili.

e *Ezech. 9.*
f *Lucæ 24.*
g *2 Mach. 11.*
h *Aug. de nati. Dom. ſerm. 14.*

129. Scilicet hoc ipſo habitu muneris ſui atque officij nos commonefacere videntur. Sic Loth in habitu peregrini volunt mutare ſolum (i), ſic feſtiuitatis noſtræ gaudia annunciant (verba ſunt B. Gregorij) quando ipſo reſurrectionis die, in candida ſtola apparent (k).

i *Geneſ. 19.*
k *Grege. hom. ſuper Mar. 16.*

130. Quocirca quod Damaſcenus habet (l), transformari Angelos quomodocunque dominator iuſſerit Deus, & ſic hominibus apparere, atque diuina reuelare myſteria; non eum habet ſenſum: quod vtriuſque ſexus formas aſſumant, omnesque ætatum gradus in aſſumptis corporibus effingant: ſed id vult ſignificare, non vnam eandemque eſſe, quæ in omni hoc negotio ipſis deſeruire debeat.

l *Damaſc. li. 2. de fide orthod. c. 3.*

CAPVT VIII.

Explicantur operationes bonorum Angelorum in aſſumptis corporibus; & inſuper earundem apparitionum variæ aſſignantur cauſſæ.

MVltiplices ſunt operationes Angelorum in aſſumptis corporibus, quędam in ipſis, ſed non per ipſa: quędam etiam per ipſa exercentur corpora. Illæ liberæ ſunt, nec corporum indigent miniſterio: hæ non item. 131.

132. Prioris generis sunt visio Dei, sui ipsorum, rerumque naturalium omnium continua contemplatio, quorundam diuinorum consiliorum cognitio; & vt vno verbo dicam, illæ omnes, quæ voluntatis atque intellectus opera perficiuntur: posterioris sunt, cum hominibus sermocinari, itineri socios se præbere, sumere cibum, legationes suas quadam lucis claritate cohonestare, aliæque huius modi, quibus se viuis exhibent.

133. Non enim quia nobiscum conuersantur Angeli, fœlices esse desinunt, & de suo, quod illis vel gratia, vel natura contulit exercitio, quidquam remittunt. neq; propterea procul à diuino sunt conspectu, quia nostris rebus intersunt. Angeli, inquit Saluator (a) eorum, semper vident faciem patris, qui in cœlis est.

a Matth. 18.

134. Ad liberas operationes nihil prorsus confert corpus assumptum, sed nec quicquam impedit. Quamobrem non tunc ratiocinantur more nostro: non phantasmatum inspectione rerum cognoscunt naturas: non agentis intellectus operam requirunt: non cunctantius de rebus definiunt. quæ in nobis ob corporis molem fieri, obseruamus omnia.

135. Sunt præterea hę operationes vere viuentis naturę. vitalesque dici debent, & quidé multo magis quam nostrę, quarum animus est principium & causa. At aliæ illæ, neq; sunt, neq; dici debent vitales (b): propterea quod principium sui non in se, sed extra se habeant, non secus atq; lapis qui à proijciente impellitur.

b Thom. 1. p. q. 51. ar. 3.

136. Est tamen inter has nõ vitales discrimen. Quædã si naturam ipsarum conditionemq; in se spectes, non nisi animante principio efficiuntur: vt sunt videre, audire, &c. quędam ex se animans quidé principium habent; sed tamen ex parte, earum rationem subeunt, quæ sine anima possunt perfici, quales sunt cibum sumere, ambulare, & his similes. hæ Angelis tribui quodam modo possunt, illæ nequaquam (c).

c Ibid.

137. Quocirca Angeli in assumptis corporibus possunt dici sonos formare, locumque mutare: videre autem, audire, loqui, gustare, non item. Et motus reuera in ipsis est, quæ moueri videntur corporibus; visio autem atq; auditio, visque loquendi & audiendi, nequaquam (d). Cum essem vobiscum, inquit illorum quidam (e), videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu inuisibili & cibo vtor.

d Thom. 1. p. q. 51 ar. 3 ad. 2.
e Tobiæ 12.

138. Neq; tamen ob id putare debemus, oculos aliorumq; sensuum organa, suum munus non habere in Angelis. quoniam non hæc vt per illa sentiant, cõsequuta sunt, sed partim propterea: vt intelligeremus, illis non deesse vim cognoscendi, aliaq; opera, quæ nos sensuum ministerio exequimur, perficiendi (f); partim ne si absq; his membris apparerent, nescio quæ monstra Angelos esse suspicaremur.

f Dionys. de cæles. hier. ar. cap. 15.

139. Ex iam dictis sequitur, nec sitim nec famem in assumptis corporibus Angelos pati, etiamsi ab alimentis diuti simè abstineant: nec satiari atq; inebriari, etiamsi nimio vel potu vel cibo obruantur. sed nec fatigantur longitudine difficultateq; itinerum, quæ conficiunt, nec difficiliu-

ficilius est ipsis breue spatium longo, quam longissimum breuissimo tempore conficere; Licet & reuera corpora moueantur, atq; ipsi item in corporibus non secus atq; motor cum mobili ferantur.

140. Sequitur & illud, non esse necesse fateamur, eandem prorsus illorum corporum cõstitutionem esse; quæ est nostrorũ; scilicet vt interiorum viscerum eadem sit necessitas, ratio, atque compositio. Sufficit, vt quæ sensibus se offerunt ~~membra, à nostris non diferepent: quoniam~~ corpora hæc, non vt opera ~~vitæ exerceant, sed vt~~ significent solum; spirituumque præsentiam testentur, & diuinæ prouidentiæ consilia clarius manifestent, assumi diximus.

141. Causas restat inquiramus, ~~ob quas Angeli in peregrinis se corporibus~~ exhibent. Illæ certæ & magnæ & multæ sunt: quia & varias Angelorum apparitiones legimus: & naturæ ordinem excedit, quod nostris sensibus se offerunt.

142. Et primo quidem propter se, his corporibus non indigent. non enim fœliciores sunt cum habent; nec deterioris conditionis cum carent. Sed nec propterea consecuti sunt, quasi facilius hac ratione, vel Dei consilia hominibus innotescant; vel ipsius decreta: finem suum commodius consequantur. Omnis ex hominibus, quod appareant, quodue his vel illis formis appareant, ratio petenda videtur.

143. Placet S. Thomæ (a) vt veteris legis apparitiones quoddam inditium esse dicamus, assumendæ olim per Dei filium naturæ humanæ: quasi his tanquam obscuris signis antiquitas illa fuerit instruenda: vt de filio Dei crederet, quod Angelici spiritus quodam modo effingerent & demonstrarent.

a *Thom. 1. p. q 51. ar. 2. ad. 1. & Aug. lib. 3. de Trinit.*

144. Sed & futuræ societatis, quæ nobis in illa vita communis esse debet cum Angelis, non leuia fuerunt argumenta; ne impossibile iudicaremus; quod cum Angelis communem quandoq; in cœlis vitam acturi essemus immortalem: quando & ipsi cum hominibus eandem, quasi vitæ conditionem in hoc infelici rerum statu subire voluerunt.

145. Quid, quod naturæ nostræ conditio id postulare videbatur, vt mens nostra corpori tanquam carceri inclusa, corporeis etiam argumentis promoueretur, eoq; duceretur & assurgeret externo Angelorum ministerio: quo per se vix penetrare posset?

146. Accedit, quod & religionem & synceram pietatem hæc ratio apparendi non parum promoueat, diuinamq; clementiam, & erga genus humanum liberalitatem egregiè commonstret; quando naturæ ordo quasi interturbatur, vt rebus nostris commodius consulatur.

147. Vide quæso, quot quantisq; de causis, spiritus illi, quędam quasi (vt ita dicam) corpora esse voluerunt. Visi sunt in corporibus (vt ex multis pauca afferam) vt afflictos erigerent & consolarentur (b): vt itineris se duces & comites præberent (c): vt vim elementorũ, ne pijs obessent, frangerent (d): vt impiorum conatus retardarent, & peccata vlciscerentur (e): vt Dei voluntatem hominibus reuelarent (f), &c.

b *Genes. 21.*
c *Tobiæ 6.*
d *Daniel 3.*
e *4. Reg. 16.*
f *Lucæ 1. Actuũ 8. &c.*

 148. Et

148. Et tamen hæc omnia per se potuit Deus. Potuit & occulto quodam Angelorum perficere ministerio. potuit animos nostros ingredi, informare, & quocunque liberet impellere: sed quod potuit, noluit; ne fortè mens humana sibi tribueret, quod Deo erat tribuendum: aut tardius negligentiúsue aduigilaret, quando non externis quasi machinis impelleretur, sed interno solum spiritu ageretur.

CAPVT IX.

De apparitionibus Dæmonum, seu malorum Angelorum, quas variis rationibus ostenditur differre à bonorum Angelorum apparitionibus.

149. DÆmonum apparitiones multa habent cum Angelorum communia. in quibusdam verò ab illis discrepant, quocirca longiore hic opus non est disputatione. Communia habent quod in effictis & efformatis corporibus appareant; quod vi sua illa figurent: quod, quando placet, deponere possint: & id genus alia. Discrepant verò nunc formis, nunc functionibus, nunc finium diuersitate; denique quod plerique omnes ex his, rebus humanis interesse soleant.

150. Apparuisse, ipsa scriptura sacra testis est. & olim quidem primis parentibus in serpentis forma (*a*); Sauli verò (vt quorundam (*b*) est opinio) in specie Samuelis prophetæ sese exhibuerunt (*c*). tempore verò gratiæ, ita Christum tentatum à Diabolo nostris oculis obiicit Matthæus (*d*), vt vix aliam quam visibilem formam habuisse coniicere possimus.

151. Atque vt vetera relinquamus infinita, & quæ apud prophanos authores plurima inueniuntur (*e*): nostra sanè ætas eiusdem argumenti non pauca suppeditat exempla. Fatetur Lutherus (*f*), se disputatione victum à Diabolo, priuatam Missam oboleuisse. Fatetur alibi (*g*), se diabolum belle nouisse, & multum salis cum eo commediisse. Volunt Basilienses Ecclesiastæ (*h*), virum grandem Carolstadio cõcionante, in templo visum, (Diabolum dicunt) ædes ipsius intrasse: ac filio, vt patri, quod per se post triduum auferendus esset, indicaret, imperasse. res verbis fidẽ fecit, sublato tertio diẽ è viuis Carolstadio.

152. Apparuerunt autem in alienis formis & corporibus: quoniã cum sint spiritus, propria non habẽt, nec formas: similiq; potestate, eadem qua Angeli assumunt, figurant, ad officia quædam peragenda vtuntur, atque deponunt.

153. Adde, quemadmodũ illi non infœlicioris sunt conditionis, quando nobiscum conuersantur: ita hos perpetuo ipsis discreta supplicia nõ deserunt, quantumcunque ab inferno remoti esse videantur.

154. Et nunc quidem in externa se specie exhibent, nunc sensus alia quadam ratione occupant: nunc in vigiliis adoriuntur, nunc somno presis illudunt. Cum enim opera hæc gratiæ non sint, sed naturæ: illa verò vires suas per peccatum non amiserit: nõ minus Dæmonum, quàm Angelorum virtute hæc effici posse, fateamur necesse est.

Primum

a *Genes.* 3.
b *Thes.* 209.
c 1. *Reg.* 28.
d *Matth.* 4.
e Vide *Alex. ab Alex.* 4. *li. general. dierum: c.* 19. *Plutarch. oratio. consolatoria ad Appollonium.*
f *Luther. lib. de abroganda Missa.*
g *Luther. in serm. quodã.*
h *Basilien. in quadã Epist.*

155 Primum differre à bonis spiritibus, in hoc apparitionũ genere dæmones videntur: quod illi non omnes in corporibus sese exhibeant, quemadmodum supra demonstratum est (a), inter hos verò nullus esse credatur, qui hanc conditionem quandoque non subeat, vel quem status ratio, ne subeat; impedire possit. a Thesi. 107.

156. Quocirca non illi solum se exhibere spectandos, putandi sunt; qui eorundem cum Angelis & Archangelis ordinum fuerunt; verum etiam quos ob grauiora & naturæ & gratiæ dona, superioribus ordinibus asscriptos fuisse credimus.

157. Nec mirum, si quam natura secum afferebat & gratia erat confirmatura, vitæ conditionem, non obseruent; sed se suaque natura aliquid (vt ita dicam) indignum tentent: quando iam olim, qua perpetuò frui potuerunt, felicitatem superbè reiecerunt, naturæ simulatque gratiæ iura violantes.

158. Quocirca non probatur illorum sententia, qui dæmones ita partiuntur; vt superiorum ordinum omnes velint in infernum detrusos, ibique pro meritis æternas persoluere pœnas: inferiorum vero in aëre obuersari, olim prioribus illis coniungendos: & hos solum se sensibus nostris offerre, illos omnino conspectum nostrum fugere.

159. Non enim in aëre illos tantum oberrare putamus, qui inferiorum sunt ordinum: nec credimus omnes inferni locis detineri, qui sunt superiorum. Arbitramur & horum aliquos aërem; & illorum quosdam infernum inhabitare: licet demerita poscere videãtur: vt illi, quia plus potuerunt, sed noluerũt; minus iam possint, quam velint: hi verò, quia minus potuerunt, plus iam & velint & possint.

160. Formis etiam differunt in suis dæmones apparitionibus ab Angelorum. Angelis vna est, eademq;. humanã dico & quidem virilem (b). dæmonibus varia; nunc humana, nunc quadrupedum, nunc volatilium, nunc reptilium, nunc aliarum bestiarum. b Thesi. 125.

161. Et inter brutorum rationeque carentium formas, quædam ipsis magis sunt familiares, quædam minus. Frequentius habitum canis induunt, & serpentis, & hirci, & capri, & aranex: in quorundam verò specie, aut nunquam, aut certe rarissimè innotuerunt.

162. Certè in columbæ figura, aut similitudine agni diabolos visos nullus, quod sciam, testatur; non quia non possunt illas formas, quemadmodum alias, induere: sed, vel quia non permittũtur, vel quia non volunt. Siquidem vel diuina maiestas prohibet, ne quæ species sunt Dei, eas nequam illi spiritus assumant: vel tantum ipsorum est erga creatorẽ suum odium, vt ne communem quidem cum Deo velint habere formam atq; similitudinem.

163. Sed nec brutorum tantum sunt contenti formis, ignotas quoque effingunt atque monstrosas, Centaurorum, Scyllarum biformium, Lernarum, Chimerarum, Gorgonum, Harpeyarum, Eumenidum, Tricipidis Cerberi, & mille aliorum portentorum.

164. Ho-

164. Horum omnium exempla plurima sunt. Apparuit quidam in forma viri, purpura & diademate ornati, Martino (a): alius in mulieris, Hilario (b): alius in pueri, Macario (c): in nigri Mauri, puero cuidam, quinque annorum (d): in horrendi Draconis, cuidam Theodoro: visusque est cauda, pedes, manusque miseri stringere (e). Quos terrores Antonio sub variis formis maligni spiritus incusserunt? Nam & bestiarum (verba sunt Athanasij) (f) & serpentum formas induentes, omnia, vbi vir sanctus agebat, protinus repleuere phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, nec non & pardorum atque vrsorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabauur, serpentes sibilo personabant: luporum impetus in hiabat: pardus discolor authoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, voces horridæ; dirus auditus. Sed & Cornelius Agrippa semper dæmonem secum in specie canis circumduxisse dicitur (g), quem tandem Araris fluuius, cum ille Lugduni animam egisset, excepit.

a *Sulpit. in vita Martin.*
b *Hieron. in vita Hilar.*
c *Palla in vit. Mac. Aegypt.*
d *Greg. 4. dialog. c. 18.*
e *Greg 4. dialog. c 37.*
f *Athanas. in vita Anton.*
g *Iouius in Elogijs.*

165. Nempe quemadmodum Angelorum naturæ & officiis vna humana conuenit species; ita conditio Dæmonum, & studiorum ipsorum ratio postulare videtur, vt quascunque formas effingant, & in iis humanis se aspectibus obiiciant.

166. Porrò corpora, per quæ se insinuant, ex aëre condensant atque efformant plerumque. & hoc est illis cómune cum bonis spiritibus: quandoque verò, quod in bonos quadrare non putamus, demortuorum assumunt, & iisdem, prout libuerit, abutuntur.

167. Atque hinc ritus cœmiteria consecrandi, aliquam causam traxisse videtur: vt scilicet per orationem, & Dei verbum, nequam illis spiritibus, omnis facultas in demortuorum corpora esset ablata; quam habere possent maiorem, in illorum; qui ob demerita sacris locis prohibentur.

168. Quibus verò sic abutuntur, non illorum sunt corpora, qui in hac vita de diabolo triumpharunt, quique sancti Spiritus viua quędam templa fuerunt. quoniam hanc iniuriam illis inuri non permittit Deus, in cuius manibus corpora sanctorum sunt (h): & ipsimet dæmones hæc eadem detestari videntur, non secus, atque canis baculum, quo percussus est.

h *Sapient. 3.*

169. Non credibile est, quod illorum corporibus abutantur, quos in corporibus Deus honorat, vt notat Hieronymus (i): quorum vmbræ ipsis fuerunt graues & intolerabiles, vt habet Chrysostomus (k): quos ad sepulchra Prothasij rugire, audiente toto Mediolanensi populo testatur B. Ambrosius (l): quorũ vilissimo sæpe torti sunt cinere, vt idem Hieronymus loquitur (m): & quos ad sepulchrum Cypriani expulsos, grauissimus testis est Gregorius Nazian.: Pretiosa (inquit Chrysostomus) sunt corpora martyrum, quoniã plagas pro domino susceperunt, & quia stigmata propter Christũ membris suis impressa ferunt. & sicut corona regalis vndique decorata, fulgores varios emittit: ita & sanctorum

i *Hieron. cõt. Vigil.*
k *Chrys. in vit. Babyle*
l *Ambr. serm. 91.*
m *Hieronym. cont. Vigil.*

rum Martyrum corpora, sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omnium regum diadematis sunt pretiosiora (a).

a *Chrys. 7. hom. de Natiu. Machab.*

170. In illorum corpora putamus dæmones aliquid posse, qui dum viuerent, ipsis fidele præstiterunt obsequium: & in quorum iam animas crudelem exercent carnificinam. quales sunt, non ij solum, qui Deum verum non agnouerunt; verum etiam illi, qui postquam agnouerunt, non quo decebat religionis cultu atque honore prosecuti sunt.

171. Verum boni spiritus mortuorum corpora vix assumunt. Impiorum enim, vt mores; ita merito detestantur corpora: bonorum verò in honore habent idcirco; quod & Deus in ipsis habitarit (b); & ad summam immortalitatis gloriam quandoque sint assumenda (c); & digna censeantur quiete, quæ in obsequio Christi se fatigarunt (d). Atque hoc tertium sit discrimen.

b 1. *Corinth. 6.* c *Iob. 19.* d *Apoc. 14.*

CAPVT X.

De propriis quibusdam operationibus, & finibus malorum Angelorum, in assumptis corporibus.

172. QVe de operationibus bonorum Angelorum supradiximus (e): eadem in malos conueniunt pleraque omnia. Hoc ferè solo, hi ab illis differre videntur, quod quædam operentur, quæ cœlestes spiritus minime deceant: id est, in assumptis corporibus succubi sint ad viros: incubi verò ad fœminas.

e *Supra c. 10.*

173. Fuerunt qui nullo modo credendum putarint, spirituales naturas coire cum hominibus (f). Alij, vel id opinari rem dementia plenam docuerunt (g). quidam etiam, vt hæresim damnarunt (h). ad quorum sententias libenter accedimus, si vel hęc officia ita à dæmonibus separant, quomodo, in viuentes conueniunt; vel natura sua tales esse pernegant, vt generationi vacare possint.

f *Ioan. Cassi. 12. coll. c. 8.* g *Chrys. hom. 3 in Genes.* h *Philast. Brixcap. 108. aduersus hæres.*

174. Alioquin congressus hos dæmonum cum vtriusq; sexus hominibus negare, ita temerarium est, vt necessarium sit simul conuellas, & sanctissimorum & grauissimorum hominum grauissimas sententias, & humanis sensibus bellum indicas, & te ignorare fatearis, quanta sit illorum spirituum in hæc corpora vis atq; potestas.

175. B. Augustinus (i) contrarium asserere, docet summę esse impudentiæ: quando incubos mulieribus sępe improbos, & importunos extitisse, atq; ipsarum etiam expetiuisse, & peregisse concubitum suo tempore, innotuerit illorum confessione, qui aut hunc congressum experti fuissent; aut ab expertis possibilem esse credidissent. Et hodie nonnullę gentes extant, quæ originem habere se gloriantur à dæmonibus, qui coierunt cum fœminis virili forma, aut cum viris fœminea (k).

i *Aug. lib. 15. de Ciuit Dei. cap. 23.* k *Cōmentarius in August. vbi sup. vide Nauclc. 2. p. generat. 15.*

176. Præterea Innocentius eius nominis octauus, grauissime in illos statuit aduertendos, qui consuetudinem hanc cum diabolis haberent. Non sine ingenti molestia, (inquit) ad nostrum peruenit auditum, com plures vtriusque sexus personas, proprię salutis immemores & à fide

catholicâ deuiantes, dæmonibus incubis & succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis, in perniciem animarum sua venena diffundat, oportunis remedijs, prout nostro incumbit officio, prouidere volentes, statuimus; vt inquisitores per nos deputati, debitum inquisitionis officium in huiusmodi personas exequantur (a). Qua animaduersione, quid opus erat, si aut non fuerunt, aut esse non potuerunt, qui cum dæmonibus congrederentur?

a Vide Alphōs. de iusta hæret. punit. li. 1. cap. 16.

177. Norunt nequam spiritus vires naturæ: & quidem perfectius multo, quam qui multos annos in studio rerum naturalium posuerūt (b): & ea est ipsorum in corpora potestas, vt ad quemcunque locum etiam breuissimo tempore illa transferre possint (c): Quando verò ad hæc duo firmissima præsidia (potestatem dico atque scientiam) malitia, quæ certe summa est in ipsis (d), accedit: quid quæso non futurum quis existimaret?

b Thom. 1 p. q. 57. ar. 1.

c Thom. 1 p. q. 110. ar. 2.

d Thom. 1 p. q. 63. ar. 4.

178. Quanquam non negauerim fieri posse, vt in fœdo hoc negotio quibusdam & in primis mulieribus illudatur; dum aut per somnia decipiuntur; aut vigilantes ex vehementi libidinis imaginatione, vere contigisse arbitrantur, quæ sola imaginatione perfecta fuerunt.

179. Geniti vero ex his incubis, non dæmonum dicendi sunt filij (e), sed eius, à quo illi semen subtraxerunt. Sed neque deterioris sunt hi ab alijs hominibus conditionis, nisi quod aliquam affricet proli insolentiam, quod cum maiori libidinis ardore, quæ in hoc blasphemo congressu accidere solet, concipiatur.

e Thom. 1 p. q. 51. ar. 3. ad 6.

180. Hoc fœdę libidinis exercitium proprium sibi habent in assumptis corporibus dæmones. Ab hoc abhorrent illi, qui cum Deo fœlicem agunt vitam, beati spiritus. neq; enim hac ratione hi vel dei gloriam, vel hominum salutem (quæ duo studiosè quærunt) promouerent: & illi non parum hoc studio, in Deum sunt iniurij, & grauissime hominum animas illaqueant.

181. Quocirca quod alicubi dicitur (f) filios Dei ingressos ad filias hominum illasque genuisse gigantes: non oportet de Angelis intelligas, quasi illi mulierum concubitum expetierint & peregerint. filij Dei dicuntur, qui à Seth ortus sui initium habentes, in veri Dei cultu perseuerauerunt: qui ad filias hominum ingressi dicuntur, quando cum filiabus Cain, consuetudinem habuerunt (g).

f Genes. 6.

g Ita Augustinus, Chrysost. Gennadius, Theodo. &c.

182. Est & aliud discrimen in hoc apparitionum genere, inter bonos & malos spiritus, quod à finibus desumitur. alios enim habent boni, alios mali. Illorū vnus præcipuus est, Dei gloria, alter huic deseruiens, mortalium salus. Horum similiter duplex est, Dei contemptus, & summum nocendi studium. vtrique quæ ad illos fines consequendos facere possunt, non prætermittunt.

183. Ad suos varijs medijs & rationibus in assumptis corporibus tendūt diaboli. Nunc sibi diuinos vsurpant honores; nunc in Dei sese officia scelerate ingerunt; nunc se simulant cogi ignotis signis tanquam quibusdam

busdam sacramentis: nunc nescio quod seruitij genus, perditis hominibus exhibent.

184. Diuinos honores ipsis impendunt illi maxime, quos Maleficos, Sagas, Strygas seu Lamias vocamus; quibus etiam alto in throno se spectabiles offerunt, bona plurima pollicentur, & patronos defensoresq; promittunt; si abiuratis Christianæ religionis exercitijs, se suaque studia ipsis consecrent, &, quem Deo vero solent, in suum honorem conuertant.

185. In Dei officia se ingerunt, quando occultissimarum rerum, sibi tribuunt cognitionem, easque prædicunt. tales sunt, quæ vel à solius Dei, vel ab humana tantum pendent voluntate atque arbitrio.

186. Esto, res illas certissime cognoscant & prædicant, quarum necessarias causas, semperq; suos effectus producentes, intuentur: coniectura verò probabili assequantur, quæ non ad suas causas semper sequuntur(a). at quarum causæ ex se dubiæ sunt & liberæ, neque ad suos effectus producendos coguntur; illi solum manifestæ sunt, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (b). a Thom. 22. q. 95. b Roma. 5.

187. Sed & certis se verborum formis atq; figuris cogi simulant: & coacti nunc in aqua, uunc igne, nunc in aëre, nunc in terra eorum simulachra exhibent, qui occultum quippiam perpetrarunt. Quandoq; etiam species eorum, qui olim sunt vita functi Imperatorum atq; Principum obijciunt oculis. Verũ simulata est hæc necessitas. Absit credamus paucis verbis, aut figuris cogi posse: qui sacris literis edocti; scimus non esse potestatem, quæ cum dæmonum conferri possit. (c). c Iob 41

188. Delectantur (inquit Porphyrius) atque alliciuntur varijs generibus lapidum, herbarum, lignorum, animalium. Sed bene respondet B. Augustinus (d), non tanquem animalia cibis, sed tanquam signis: quæ ipsis tanquam diuini honoris. (cuius sunt cupidissimi) argumenta exhibentur. d Aug. lib. 21. de Ciui. cap 6.

189. Sic certis constellationibus euocati, facilius comparent, nõ quod aliàs inferior sit ipsorum virtus, ipsisque astra dominentur: sed occultum nocendi studium produnt; quo errorem afferre nostris mentibus cupiunt, vt diuinum quid in ipsis suspicaremur astris inesse (e). e Thom 1 p. q. 51 ar 5. ad. 2. & hubet Hoã. Bodin lib. 3. c. 1. de dæmono. Maleficorum.

190. Idem nocendi studium ipsos vrget, cur ijs noctibus, quæ inter diem Veneris & Sabbati mediæ sunt, frequentius se exhibeant (f), & nefandos conuentus cum perditis hominibus exerceant: licet Abraham Aben Esra (g) diuina id velit fieri dispensatione, dæmonibusq; illo tempore, maiorem mortalibus nocendi factam esse potestatem asserat. g Abraham in ar. 4. sup. 10. præc.

191. Quandocumque vero certorum hominum species exhibent, non putandum in ipsis quæ spectantur simulachris, eorum hominum animas latere, ipsasq;, motús qui obseruantur, exhibere: sed ipsæ vel non sunt præsto suis corporibus animæ, vel si quando deo permittente ex inferno educuntur, corporibus nequaquam, vt veræ ipsorum formæ, vlla dæmonum vi coniungi possunt (h). h Abulens. su. 1. Reg. c. 28. q. 24.

193. Seruitij genus quidam dæmonum, quos Martinellos siue Martinetos vocant, præstant: qui singuli singulis illis ad custodiam deputantur, quos sagas & maleficos dicimus. Horum officium est, horrendos illos & sceleratos nocturnos conuentus indicere, & vbi speciem hirci induerint, eodem velocissime homines per aërem transportare. (a)

a *Alphon. à Castro de iust. hær. punit. lib. 1. c. 16.*

164. Omnia hæc in Dei cedunt grauissimum contemptum, & horrendis suppliciis vindicanda essent, neque enim mortales possunt (nisi insigniter impij esse velint) aut diuinum honorem his spiritibus tribuere; aut futurorum ab ipsis cognitionem expetere (b); aut certis definitisq; signis in occultorum notitiam peruenire, vel vllam ipsorum operam, in quocunq; tandem negotio, amice implorare & experiri. (c)

b *D. Thom. 1. p q. 114. art. 4.*

c *D. Thom. 2 q 90. art 2.*

CAPVT XI.

De humanorum Spirituum Apparitionibus, quas ostenditur non esse fabularum loco habendas.

195. DE humanorum Spirituum apparitionibus, multiplex & difficilis est disputatio. Præcipua illa est, qua quæritur, vtrum rebus humanis quandoq; interfint: cum hæc coniunctæ sunt, quæ de spirituum qui apparent conditione, operationibus, rationeque cum ijsdem agendi definiunt: & quæ loca, tempora, causas, propter quas apparent, & his similia, assignant.

196. Sunt qui nescio quas obscœnas fabulas effingunt, vt vniuersum apparitionum genus suspectum reddant (d). Sunt qui præter illas, quas à Christo & Angelis factas esse diximus, alias nullas admittunt (e). Sunt qui ad superstitionem omnia reuocant, quæcunque in hoc genere accidunt, & tanquam mulierc ularum somnia explodunt (f).

d *Melanth. in Calend. Manlij 23. April.*

e *Marbach. li. de mirac. ad uers. Ising.*

f *Ioan. Riuius de veteri superstit.*

197. Et aliquibus hæc asserere, pro sua authoritate satis est. Alij sunt qui rem speciosam faciunt, nescio quibus male intellectis scripturis. Quia enim mortui dicuntur dormire (g): negant nostris rebus adesse posse. & Puluis sumus (inquit propheta) (h), homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri efflorebit, & non subsistet, & non cognoscet locum suum amplius. Sed & omnes morimur (i), & velut aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.

g 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4.

h *Psalm. 102.* 1 2. *Reg. 14.*

198. Accedit, quod B. Athanasius (k) animas corpore exutas, nihil amplius commune cum mortalibus habere, sed ab hominum consortio separatas manere, ex eo colligit, quod dicatur (l) homo spiritus vadens, & non rediens. Sed & Abrahami oratio Christi est authoritate confirmata, qui non mortuos mittendos docet (m), sed Moysen & prophetas audiendos. neque enim mortuis habenda fides, si Moyses & prophetæ non audiantur.

k *Athan. lib. qq. q. 11.*

l *Psalm. 77.*

m *Luc. 16.*

199. B. Augustinus alicubi sic argumentatur (n), si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis, vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq; secuta est, vt mecum viueret. Absit enim vt

n *Aug. lib. de cura p. mort. cap. 13.*

facta

facta sit vita fœliciore crudelis. Sed profecto quod facer Psalmus (a) personat, verum est. quoniam pater meus & mater mea derelinquerunt me, dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerint nos patres nostri, quomodo nostris rebus & curis interfunt? Si autem parentes non interfunt; qui sunt alij mortuorum, qui nouerint quid agamus, quidue patiamur? Hæc Augustinus.

200. Quid, quod fieri non posse videatur, vt vel corpora animæ rursus assumãt: vel ea sint virtute, vt quemadmodũ angeli, species sui, in sensibus nostris efficere queant? Præterquam quod neque res hæc, possit promouere gloriam Dei, neque vllum fructum vel mortalibus hominibus, vel immortalibus animabus afferre?

201. Verum enimuero cum apparitionibus his multa faciant fidem: scriptura scilicet tam noui, quam veteris testamenti, probatissimæ historiæ, grauissimi & de re Christiana optime meriti viri, quotidiana item experientia, atque etiam ratio & insignis vtilitas: non possumus, nisi summe impudentes esse velimus; quin ijsdem assentiamur.

202. Defunctus propheta Samuel viuo apparuit Sauli (b), & ipsi finem vitæ suæ prædixit (c). Scimus Anastasium Episcopum Nicenum (d), & Cyrillum (e) asserere, totam hanc visionem diaboli esse illusionẽ: sed nõ latet nos quoque, quod grauissimus author B. Augustinus (f) vtrumque sensum admittat, vt & vere, & non vere excitatus propheta credi possit.

203. Potuit profecto verus fuisse Samuelis spiritus, qui humana forma se exhibuit, & diuina potentia, quæ dæmonem pythonissamque lateret, exhibitus (g): vt Sauli diuinæ iustitiæ, iam in ipso, ob demerita cõplendæ, certissimus testis esset.

204. Verum esto, hoc vel illudatur, vel reiiciatur exemplum. Libri Machabæorum (h), quorum authoritas grauissima est (i) clarissime docent Oniam sacerdotem, & Hieremiam prophetam longe post mortem Iudæ Machabæo per visum se obtulisse, eidemq; ad debellandos impios patriæ hostes animum addidisse.

205. Euangelium est, quod de Moyse & Helia fertur, quorum ille iam olim mortem suam obiuerat; hic verò è terra subductus, aut potius raptus excesserat. Vterque tamen Christo se præsentem in monte Thabor præbuit (k); vterque cum eo collocutus; vterque quibusdam, & non infimis Apostolis se se exhibuit.

206. Quid, quod & ipsis Apostolis defuncti aparuerint, ipsiq; rursus, postquam è vita discesserunt, viuorum rebus interesse voluerint? Refertur (l) in ripa fluminis Ebri, prope Cæsaraugustam, Aragonum vrbem, B. Iacobo Virginem Mariam apparuisse: eumque vt sacellum sibi, quod postea multis claruit miraculis, cõstrueret, admonuisse. Petrus & Paulus apparuerunt Constantino, vt morbi incurabilis remedium præberent (m). Philippus & Ioannes Euangelista Theodosio (n). Idem Ioannes Gregorio Taumaturgo, eique vigilanti mysterium pietatis aperuit

a *Psal.26.*

b *1 Reg.28.*
c *Eccl.49.*
d *Anast. li.q. inscript. q.37.*
e *Cyril. de adorat. spirituũ.*
f *Aug. de cura pro mort. c.10.*
g *Alph. li.1. de iust. hæ. pun. Abulens. in 1. Reg.28. q.28.*
h *2 Mach.15.*
i *Carthag.3.c. 47. Floren. et Triden. Inno. 1. ad Eugeb. Gelas. in Cõc. Rom. Cypria. li.1. Epist. & Aug. li.18 de Ciui c.36. etc.*
k *Matt.17. Lucæ 9.*
l *Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hispa. cap.23.*
m *7. Syno. act. 2.*
n *Theod. lib. 5. c.34.*

ruit & declarauit (a). Extruxit templum Apostolis Iustinianus Imperator (b) & Apostoli beneficiorum memores ad regis honorem hominibus apparuerunt. Hortatus Carolum Magnum B. Iacobus, Galiciam ex Saracenorum potestate in Christianorum vsum vindicet: eique in hoc negotio insignem operam præstitit. (c)

208. De B. Virginis apparitionibus, quæ plurimæ referuntur, tanto minus dubitare oportet, quanto graviores sunt authores, qui has probãt. Narrat Gregorius Nissenus (d) Gregorio Taumaturgo beatam Virginem apparuisse, ea specie, quam vix oculi illius ferre possent. Refert Gregorius Magnus (e) Musam quandam fuisse, cui postquam beata Virgo chorum insignium virginũ exhibuisset; author fuit sanctioris vitæ. B. Damasceno eadem Virgo apparuit (f), & manum, quam Leo Isaurius impie præscindi iusserat, rogata restituit. Fidem rei fecerunt grauissimus author Ioannes Hierosolomitanus patriarcha, & in brachio relicta ex vulnere liniola. Cyrillus Alexandrinus redit in gratiam cum B. Chrysostomo, admonitus ab eadem Virgine (g). Narses ob belli gloriam, & deuictum Totilam insignis, nullum committit prælium, nisi Deiparæ Virginis manifeste apparentis monitis excitatus (h). Cyriacus Abbas, & præsbyter Lauræ Calamonis, vna cum Dei genetrice vidit vtrumque Ioannem, Baptistam & Euangelistam: & scripta Nestorij, non retinenda, sed exurenda cognouit (i). Construit templum Virgini matri Constantinus Magnus: & ipsa Architecto apparet, quáue ratione maximæ columnæ erigi in eodem possint, ostendit (k). Puer quidam vitriarij Iudæi, à patre in ardẽtem fornacem iniicitur: quod cum Christianis Eucharistiam in ẽde B. Virgini sacra sumpsisset: sed ille ẽ ignis defensum fuisse testatus est (l). Apparuit Ioanni patritio, simulque monuit, qua ratione opes suas optime colloearet; sicut ille iam pridem desiderabat. atque vt fides certior apparitioni constaret, eadem nocte, Liberio pontifici astitit, & similia monita repetiuit (m). Ruperto Tuitiensi adest in somnis, promittit & præstat, quod ille singulari studio implorauit, docile ingenium, & diuinorum intelligentiam (n). Idem obtinuit Vdoni Magdenburgensi: licet ille tanto muneri ingratus, & admonitus; peccandi finem noluerit facere, sed horrenda morte turpissimam vitam elegerit concludere (o).

209. Nec desunt aliorum Sanctorum apparitiones. Docet Ambrosius Agnetem apparuisse Constantiæ Constantini Imperatoris filiæ, atque item parentibus ad ipsius monumentum pernoctantibus (p). Testatur Orosius Geruasium & Prothasium visos Ambrosio (q). Potamianam Virginem Originis discipulam Basilidi tortori, non apparuisse solum, sed & coronam capiti imposuisse, & futuram martyrij gloriam prædixisse, authores sunt Eusebius (r), & Nicephorus (s). Probus Rheatinæ vrbis Episcopus, vidit Iuuenalem & Eleutherium martyres, vt habet Gregorius Magnus (t). Felicem Nolanum visum esse, & mirabiliter ciuitatem defen-

a Greg. Nysse. in vita eius.
b Procop. lib. de ædif. Iusti.
c Ludolph. Bebenburg de veterum principum Germa. Zelo. cap. 14.
d Greg. in eius vita.
e Greg. 4. dialog. c. 14.
f Ioan. Hiero. in vita eius.
g Niceph. lib. 14. cap. 28.
h Niceph. lib. 1. cap 13.
i Prat. Spirit. cap. 46.
k Greg Turo. de glo. mar. cap. 8.
l Greg. Turo. vbi sup. c. 8. et Glyca. 4. par. Annal.
m Anton. p. 4. titulo. 15.
n Trith. lib. de Monast. Hirsaug.
o Naucl. 2. p. g. 34.
p Ambros ser. 90 de passione Agn.
q Orosius lib. 7. cap. 36.
r Eusebius lib. 5. hist. c. 5.
s Niceph. lib. 5 cap. 7.
t Greg. lib. 4. dialog. ca. 12.

defendisse, author est B. Augustinus (a). Theodorum martyrem apparuisse, & Euzoium Episcopum admonuisse, ne populus esculentis, deorum sacrificio pollutis, vteretur, post Nectarium habet Nicephorus (b). Cosmas & Damianus periculose ægrotantem, & (vt Procopius loquitur (morituri speciem præbentem, & medicis desperatum, per somnum & visum apparentes, sanarunt Iustiniani (c). Nota est historia (d), quę refert Attilam Hunnorum regem, Italiam ingredi & vastare parantem; cum Leo pontifex calamitatem Reipub. Christianæ misertus obuiam ipsi factus, oratione exterruit: inter alia, id quoq; confessum fuisse; non Pontificis se solum vultu, & oratione permotum; sed vidisse quoque duos senes, dimissa barba, ac venerando & horribili vultu supra caput astitisse, & districtis gladijs pacem extorsisse (e).

210. Longum est recensere, quæ habet Basilius de Mamante (f): Nazianzenus de fratre Cæsario & varijs martyribus (g): Hieronymus de Paulo (h): Paulinus de Ambrosio (i): Euodius de Stephano protomartyre (k): Prudentius de Fructuoso & eius socijs (l): Lucianus de Gamaliele (m): Palladius de Collutho martyre (n): Theodoretus de S. Ioanne Baptista (o): Athanasius de Ammone (p).

211. Et ne quis propterea minoris ponderis putet esse apparitiones, quia hæ quasi priuatæ sunt, & non pluribus sed vni exhibitæ: audiat is B. Augustinum (q). Non solis, inquit, beneficiorum effectibus: verum etiam ipsis hominum aspectibus, Confessorē apparuisse Fœlicem, cum à Barbaris Nola oppugnaretur; audiuimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Quid, quod Elias & Moyses, non vni Apostolorum, sed Petro, Ioanni & Iacobo, se spectandos exhibuerunt (r)? Samuelis vero spiritus non Pythonissæ solum, sed & Sauli visus est (s).

212. Verum opus non est exemplis in re certa pluribus. Habet hic locum, quo B. Hieronymus Vigilantium perstringit (t). Tu (inquit) Deo leges ponis? Tu Apostolis vincula inijcis? Vt esse ad diem iudicij cogantur in custodia? Et illud. Cum diabolus & dæmones vbique toto orbe vagentur, quare Martyres, post effusionem sanguinis tenebuntur inclusi?

213. Quod si sancti homines, dum viuerent, quibusdam apparuerunt, à quibus tamen longissimè aberant; cur simili ratione, post mortem ad viuos redire non possunt? Atqui Vitus apparuit Constantino Magno (u); Melitius Antiochenus Theodosio Magno (x), quem nunquam antea visum, in Episcoporum Synodo vltro agnouit (y): Sed & Augustinus apparuit Eulogio (z); Nicolaus Constantino iam dicto (†); Ioannes monachus cuidam mulieri religiosissimæ, impatienter eum videre cupienti (*). Paulus item Apostolus vidit virum Ananiam nomine sibi manus inponentem (‡).

214. Est ergo sua authoritas apparitionibus: siue dignitatem attendas spirituum, qui apparuerunt; siue authoritatem & splendorem eorum, quibus

a *Aug. lib. de cura pro mort. cap. 16.*
b *Simeon Metaph. in Theo. martyr.*
c *Niceph. lib. 10. c. 12.*
d *Procop. in ædif. Iustinia.*
e *Platina in vita Leonis.*
f *Basilius in vita Mam.*
g *Nazianz. orat. 1. in Iulia.*
h *Hieron. in vita Pauli.*
i *Paulinus in vita Ambros.*
k *Euod. li. 1. de miraculis Ste.*
l *Prudentius in vita Fruct.*
m *Lucia: de miracalis Ste.*
n *Pallad. in vita Salomonis & aliorum.*
o *Theod. li. 5. Histo. cap. 24.*
p *Athanas. in vita Antonij.*
q *Aug. lib de cura pro mort. cap. 16.*
r *Matth. 17.*
s *1. Reg. 28.*
t *Hieronym. contra Vigil.*
u *Sozom. li. 6. cap. 32.*
x *Theod li. 5. cap. 6. & 7.*
y *Ibidem.*
z *Aug. de cura pro mori. c. 10.*
† *Metaph. in vita Nicolai.* * *Aug. iib de cura pro mortal. cap. 10.* ‡ *Actuum 9.*

quibus se exhibuerunt; siue grauitatem testium, qui nobis tanquam posteris has per literas tradiderunt. vt mirum sit, posse inueniri homines, qui in tanta testium, & exemplorum lumine coecutiant, & spirituum apparitiones nullo loco habendas censeant.

214. Nimis fortè multa de bonorum spirituum apparitionibus, cum tamen de toto genere sit disputatio. Sed hoc eo fecimus libentius, quod & hæc assertio, toti argumento fidem faciat: & qui apparitionibus bellum indixerunt, in his fere solis expugnandis, licet frustra, fatigentur.

215. Verum non hi tantum spiritus, viuorum rebus interfuisse putandi sunt, qui cum Deo perpetuam fœlicemque agunt vitam: sed cum spi-
a *Thess.* 19. rituum humanorum genera tria præcipua sint, vt dictum est (*a*) præter beatos illos; etiam perpetuo damnatos, atq; eos qui igne purgatorio expiantur, ad nos redijsse, atq; adeo redire, libenter fatemur.

216. Damnatorum spirituum duo genera possumus constituere. quidam sunt, qui præter pœnam damni, experiuntur etiam pœnam sensus: quidam, vt infantium nō renatorum, solam dāni sustinēt. hos hominum colloquijs sese miscere, compertum est nemini: posse si is qui omnia potest, ita iubeat, nemo dubitat. verisimile tamen putamus, Deum id nunquam iubere, & ipsos id nunquam expetere: vt qui nullum ex hac re fructum capere, nec alijs afferre possunt.

217. Alios illos, hominum obtutibus se exhibuisse plurima probant exemplā, à grauissimis authoribus monumentis tradita: quibus fidem in vniuersum abrogare, nihil aliud esset, quam venerandam antiquita-
b *Marulus li.* 5. *cap.* 11. tem aperti mendacij insimulare. Elias quidam in deserto Aegypti vitam agens, teste Cyrillo, vidit animam cuiusdam Anconitani Episcopi, di-
c *Greg. dial.* 4. *cap.* 30. uino tribunali sisti, statimque post, ad grauissima supplicia rapi (*b*). Visus Theodericus rex Arrianus inter Ioannem Pontificem, & Symma-
d *Greg.* 4. *dialog. c.* 51. chum patricium vinctis deduci manibus, & detrudi in ollam Vulcani, vt loquitur B. Gregorius (*c*). Visa monialis in Ecclesia sancti Laurentij
e *Alex. lib* 5. *c.* 23. & *lib.* 2. *cap.* 9. Romæ, ante altare per medium secari (*d*). Et damnatorum spiritus fuisse, quos certissimis testimonijs visos esse confirmat Alexander ab Alex-
f *Plinius lib.* 8. *Epistola.* dro, vix possumus dubitare. (*e*).

218. Ad hanc classem (vel certe ad præstigias dæmonū) etiam illi spi-
g *Plinius de viris illust. cap.* 2. spiritus referri videntur, quorum apud prophanos authores fit mentio. Refert Plinius spectrum quoddam Athenis se exhibuisse, specie senis,
h *Plinius lib.* 30. *cap.* 2. macie & squallore cōfecti, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerentis (*f*). Vidit Iulius Proculus apud
i *Philostrat. in vita Apollon.* Capream paludem Romulum, augustiore forma Deum factum, suosque admonentem, vt Deos colerent, & virtutem sequerentur (*g*). Homeri vmbram Cynocephalea herba euocauit Apion Grammaticus, & ab ea,
k *Xiphilinus in Antonino.* patriam quibus ue parentibus ortus esset, didicit (*h*). Achillis spiritus apparuit Apollonio (*i*). Seueri parentis Anthonino Heliogabulo (*k*).
l *Valerius lib.* 1. *cap.* 6. Pollucis & Castoris in bello Latino apud lacum Iuturnæ (*l*).

219. Visi sunt & illi, qui purgatorio igne expiantur. Paschasius Apostolicæ

stolicæ curiæ diaconus post mortem, in Angulanis termis, à Germano Capuano inuentus est luere pœnas, quas contraxit (a). Iustus quidam, ob retentas pecunias, graue supplicium pertulit: qui tandem Commodo fratri apparens, se ab illo sanctis sacrificijs liberatum esse exposuit (b). Fuit & presbyter, qui Centumcellis, in balneis frequentissime reperit, qui sibi operam gratuitam, si quando lauaret, præstabat. Pro quo, vbi, quemadmodum rogarat, Deo sacrificia obtulisset, spiritum fuisse cognouit; cui diuina miseratione hoc modo pro peccatis satis facere & iuuare contigit (c).

a *Greg. lib. 4. dialog. ca. 40.*

b *Greg. lib. 4. dialog. cap 55.*

c *Greg. lib 4. dialog. cap 55.*

220. Probabile vero est, defunctorum spiritus, cuiuscunque demum status vel conditionis extiterint; sedes suas, quas pro meritorum suorum ratione, perpetuo, vel ad tempus assignatas habent; naturali instinctu appeti tuúe nunquam deserere: propterea quod secundum naturæ suæ statum causam, propter quam eiusmodi mutationem affectare magnopere debeant, nullam habeant. Siquidem motus omnis plerunque suscipitur, propter indigẽtiam. At animæ beatæ nullius indigent: damnatæ pluribus egent, sed nullius subsidij participes fieri valent: iustæ pœnitentes indigent & iuuari possunt, sed ijs rebus, quas expetendas ipsis & desiderandas natura, dictare non potest.

221. Verum quia alij sunt fines rerum humanarum, alij diuinarum (d): animæ quæ secundum naturalem conditionem suas sedes non relinquunt; secundum secretam diuinæ sapientiæ dispositionem, & ordinem, aliquando inde egrediuntur, & se hominibus offerunt.

d *Aug. lib. de cura pro mort. c. 16.*

222. Beatæ animę quotiescunque libitum fuerit, è cœlo ad nos descendere possunt. Si enim quod vellent non possent; aliquam ægretudinem animo conciperent, & beatæ non essent: at damnatæ id nequaquam possunt: neq; enim si possent, ad horã in inferno hęrerent, etiamsi suum semper secum ferant carnificem. Siquidem, quæ illorũ est superbia, gaudent vagandi libertate, & locorum varietate: quemadmodum & ipsi dæmones infernum horrent, & metuunt: non quia inibi grauius ipsorum supplicium; sed quia vni loco adhærescere refugiunt.

223. At dormiunt (dicis) mortui. sed per dormientes mira fieri, quotidiana docet experientia. Præterea, dormiebant Moyses, Onias & Hieremias (mortui enim iam fuerant multis seculis): & tamen ille cum Christo visus est multa loqui (e): hi suæ præsentia animos addunt Iudæis (f). Quod si ipsorum dormire, vocas, nunquam in hominum conspectum redire; nescis, quia corporum tollis resurrectionẽ: si vero otium & sensuum omnium quietem; in omnes prorsus animas, ne Deum dicam, es iniurioſus. Somnus hic, huius quam circumferimus sarcinæ est depositio, & ipsamet mors: cuius imaginem quidam somnum esse dicebat (g).

() *Supra Thesi 197.*

e *Matth. 17.*

f *2. Mach. 15.*

g *Ouidius 2. amor eleg. 9.*

224. Sic omnes morimur & veluti aquæ dilabimur (h). & certe, si illæ non reuertuntur; nos quando q; sumus reuersuri. Neque enim errabat. qui dicebat (i), Scio, quia redemptor meus viuit, & in carne mea videbo

h *Supra Thesi 197.*

i *Iob 19.*

Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse. Certum est, omnes animas ad iudicium olim esse prodituras (a). certum est veterum patrum spiritus, qui ante Christum natum & passum in limbo detinebantur; ibi iam amplius non detineri (b). Similitudine inconstantiam humanæ vitæ ostendit ille locus, quam non oportet, vt per omnia cum eo, ad quod probandum affertur, conueniat. Habet hic locum quod in parabolis obseruandum notauit B. Chrysostomus (c), vt, quid per parabolam intendatur, inspiciamus, non singulorum rationes curiosè scrutemur.

a *Corinth. 5.*

b *Psal. 67.*

c *Chrys. homi. 48. in Matth*

225. Eadem ratione & spiritus vadens atque non rediens, homo dicitur (d), quia scilicet aëri leuissimo comparatur; quo quemadmodum nihil est inconstantius, ita neque hominum vita quicquam magis est incertum. Sed & vadens & non rediens spiritus dicitur, quia, vbi semel egressus è corpore: non iterum per semetipsum, (sed tamen diuina virtute) reuerti potest. Vadens etiam est homo, & non rediens spiritus, quia per se quidē potest à Deo recedere: verum per se ipsum à malo ad bonum redire non potest. Ex se habet, quod peccare possit: vt autem bene agat, non nisi ex Deo.

d *Supra Thesi 198.*

e *Ibidem.*

226. Abrahami vox & oratio (e), tantum abest, vt hanc nostram assertionem euertat; vt vel maxime confirmet. Neque enim negat fieri posse, vt ad viuos redeat Lazarus, qui Epulonis fratres admoneat; sed iudicat non expedire: quando omni exceptione maiores testes sunt, quibus credere possunt prophetæ & Moyses.

f *Supra Thesi 200.*

227. B. quoque Augustinus non reijcit apparitiones spirituum (f), sed pluribus exemplis confirmat (g). Petebatur à quodam debitum, quod defunctus pater persoluerat. anxio ipse apparuit in somnis, cautionemque qua persolutum ostendebatur, indicauit. Carthaginis Rhetor Eulogius, cum in Ciceronis libris locum obscuriorem reperisset; & tota nocte, qua ratione eundem explicaret, solicitus hæreret: in somnis cernit Augustinum sibi præsentem (qui tamen longe trans mare aberat) & locum egregiè explicantem. Cuma quidam municipij Tullienſis, vir pauper, cum aliquot dies quasi mortuus iaceret, mirabilia se vidisse, vbi sanitati restitutus est, certissimis argumentis confirmauit. hęc Augustinus omnia (h).

g *Aug. lib de cura pro mort.*

h *Aug. de cura pro mort.*

228. Non negat Augustinus apparitiones, sed modum quo rebus nostris interesse; num videlicet ἀντιπροσώπως an ὑπερπροσώπως, difficulter se assequi fatetur (i). Res (inquit) hæc altior est: quam vt à me possit attingi: & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari: & ideo quid horum duorum sit, an vero fortasis vtrumq; sit, vt aliquādo ista fiant per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per angelos suscipientes personamm artyrū, definire nō audeo: mallem à scientibus ista perquirere.

i *Aug. vbi supra.*

229. Credit plerumque angelicas esse hic operationes: interim tamen aliquando mitti ad viuos, quosdam ἀντιπροσώπως diuina (inquit) testatur scriptura. Nam Samuel propheta defunctus, viuo apparuit Saul.

Et

Et(subiungit)si huic ex Hebræorũ,quia in eo non est canone,contradicitur,quid de Moyse dicturi sumus:qui certe in Deuteronomio (a)mortuus,& in Euangelio(b)cũ Helia qui mortuus non est,apparuisse legitur viuentibus? Refert huc visionem Fœlicis, quem hominum multorum conspectibus apparuisse,certissimis argumentis confirmatum est. a Dent 34. b Matth. 17.

230. Itaq; quod de matre dicit (c) naturæ leges concernit:quod de spiritibus docet, opus est diuinæ virtutis. Alia (inquit) sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Alij sunt rerum humanarum limites,alia diuinarum signa virtutum:quamuis & naturæ Deus adsit,vt sit:& miraculis natura non desit. c Aug. sup. thesi 200.

231. Duobus restat respondeamus capitibus (d), possit ne fieri,vt ad viuos ipsimet per se ἀυτοπροσώπως defuncti redeant: atq; vtrum ex re,vel nostra,vel ipsorum sit,vel Dei gloriam promoueat; quod sedes suas relinquant, & nostris rebus adsint. Et breuis quidem est responsio affirmans;ratio vero modusq; paulo latius explicanda videntur. d Supra thesi 201.

CAPVT XII.

De forma, & modis, quibus humani spiritus apparent, deq; eorundem operationibus.

232. DVobus modis defunctorum spiritus hominum rebus adesse possunt. Aut enim signis quibusdam præsentiam suam testantur tantum; aut etiam cognoscendos se exhibent. Præsentiæ indicia sunt, verbera,quæ quandoque infligunt; tristis gemitus; sternutatio; manuum complosio, tumultus excitati, & his similia. Cognoscendos se exhibent, quando formas sui, in sensibus nostris relinquunt.

233. Formarum non vna est ratio, sed multiplex: nempe quæ viuentibus respondeat. Itaque nunc virilis est,nunc fœminea:nunc ætate prouectioris,nunc minus prouecti.hoc & exempla commonstrant,& ratio postulare videtur.

234. Nouit Samuelem adesse Saul,quando nondum visus à pythonissa describitur vir senex,amictus pallio (e). Oniam & Hieremiam cognouit Iudas (f). Petrum & Paulum sibi apparuisse affirmat Constantinus, quando ipsorum imagines exhibitæ fuerunt à Syluestro (g), &c. e 1. Reg. 28. f 2. Macha. 15. g 7. Synod. act. 2.

235. Et certe sic conuenit. Cum enim plerumq; idcirco nostris rebus interfint spiritus,vt cognoscantur:cogniti verò, vel suam, vel nostram agant causam;ea oportebat apparerent forma, qua à quibuscunque alijs distinguerentur,& nos in ipsorum notitiam peruenieremus.

236. Tristiorem tamen vultum simulant illi,qui pœnas adhuc persoluunt:hilariorem ij,qui à pœnis liberi,fœlicem agunt vitam. Et damnati identidem nigro, cæteri candenti colore;vel certe, qui viuis respondeat,conspiciuntur.

237. In his verò formis dupliciter se cognoscendos præbent. aut enim in externa,& quæ plerũq; extra sensum est, in assumpto corpore agnoscuntur à vigilantibus:aut interiori sensu cõspiciuntur etiam dormien-

tibus. Priori modo se exhibuerunt, Ioannes Euangelista Gregorio Thaumaturgo (a), Iacobus Apostolus Carolo Magno (b), Felix Confessor ciuibus Nolanis (c) alijque complures. Posteriori verò Petrus & Paulus Constantino (d), B. Virgo nunc Ioanni Damasceno (e), nunc Ioanni Patricio (f), &c.

a *Greg. Nyss. in vita eius.*
b *Supra Thesi 207.*
c *Supra Thesi 210.*
d *Supra 207.*
e *Supra 208.*
f *Ibidem.*

238. Posterior hic modus difficultates habet pauciores, prior ille plures. In illo quæritur, vtrum spiritus humani imaginationem hominis, suis viribus informare possint: in hoc disputatur, vtrum ipsi per se spiritus corpora effingant: an potius angelorum, in hoc negotio, opera vtantur: Disputatur, vtrum iam in angelorum opera effictis & formatis corporibus, ipsi nostri spiritus sint: ἀυτοπροσώπως an ἐτεροπροσώπως: disputatur, vtrum reuera ipsorum sint, vel saltem esse possint corpora, in quibus se exhibent: disputatur, quales sint operationes, quas in peregrinis corporibus efficiunt.

239. Ad species in hominis imaginatione formandas; & scientia summa & egregia requiritur potestas: quæ cùm non tanta sit in hominum spiritibus, quanta in angelis & dæmonibus: opera vel malorum vel bonorum spirituum nequaquam fieri posse putamus; vt defunctorum animæ hac ratione sensus nostros occupent & informent.

240. Sic nec corpora, in quibus humanis rebus intersunt, effingunt: Neque enim vi sua possunt elementa condensare, & vsibus suis aptare; neque sua, quæ aliquando deposuerunt, valent in pristinam formam restituere. Angelorum opera fit, quicquid in hoc negocio conspicitur.

241. An verò in iam Angelorum opera effor matis corporibus, ipsi spiritus degunt? Fieri posse non negamus. Factum quandoq; testatur B. Augustinus exemplo Samuelis, & Moysi (g): an plerumque fiat, is scit, qui ad inferos ducit & reducit (h), & (vt loquitur B. Augustinus) cui data est dijudicatio spirituum (i).

g *Aug. de cura pro mort. cap. 15.*
h *1. Reg. 2.*
i *Aug. vbi supra.*

242. Semper fieri, id prohibere videtur: quod eodem Augustino teste (k) eundem spiritum quandoque eodem tempore in diuersis maximeq; distantibus locis apparuisse, certa experientia probatum sit: in quibus tamen locis ipsummet reuera fuisse, non facile quis dixerit.

k *August. vbi supra cap. 13.*

243. Licet verò non semper sciatur, an ipsi spiritus ἀυτοπροσώπως adsint: de quibusdam tamen certo affirmari posse existimamus: quod nunquam ijs quæ ipsos repræsentant corporibus, adsint, & per se viuorum rebus interfint. Tales sunt, qui non iam spiritus tantum sunt, sed suis corporibus rursus coniuncti, cum Christo fœlicem agunt vitam in cœlis.

244. Idem de ijs iudicium ferimus, qui modo quidem nondum beati: alicubi tamen singulari Dei prouidentia in suis adhuc corporibus vitam agunt tamœnam, futuriſque olim temporibus in Euangelio Christi prædicando aduersus impotentissimum Christianæ religionis hostem Antichristum, fidelem nauaturi sunt operam.

245. In

245. In priori genere sunt Beatissima Dei genetrix (quam cum corpore & anima in cœlum assumptam esse libenter cum grauissimis authoribus (a) credimus): atque illi item, qui cum Christo resurgente, ad propria corpora redierunt, & vna tandem cum ipso ad cœlum translati, insigne resurrectionis testimonium præbuerunt (b): Ad posterius vero pertinent Enoch, Elias, &, vt quidam (c) censent, discipulus ille quem diligebat Dominus.

a *Vide Marial. Canisij lib. 5. cap. 5.*
b *Matth. 27. Anselmus ibi. Sophro. de assumpt. B. Vir.*

246. Hos ἀντιτύπους rebus humanis non putamus interesse: propterea quod iam ea necessitate suis adsint corporibus, vt relinquere illa nequaquam possint. Quocirca aut necesse est, sua secum deferant corpora, & sic nostris aspectibus se offerant, (quod quis fieri credat)? aut non per se adsint, sed Angelorum opera ipsorum nobis simulachra offerantur.

c *Vide Marial. Canisij ibidē circa finem.*

247. Obseruasse hoc videtur B. Augustinus (d) qui cum Samuelem ἀντίτυπον adfuisse ostendisset, & deinde rem non quasi satis certam (quod hoc exemplum reijci posset) Moysis argumento confirmasset: ita Heliæ, qui socius Moysis fuerat, mentionem facit; vt eius exemplo nihil probasse sit visus. Sic enim loquitur: Quid de Moyse dicturi sumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus (e), & in Euangelio cum Helia (f) qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus?

d *Augustin. vbi sup. cap. 15.*
e *Deut. 34.*
f *Matth. 17.*

248. Horum igitur apparitiones eandem conditionem & rationem subeunt cum apparitionibus Christi (g), eandem item, cum illis, in quibus viui quandoque absentibus visi sunt (h), vbi præter rerum imagines nihil fuit, quod ipsi, sibi spiritus vendicare potuerunt.

g *Sup thes. 81.*
h *Sup thes. 212.*

249. Si qui igitur ἀντίτυποι spiritus nostris rebus intersunt, oportet alij sint à iam dictis. Credimus vero frequentius eos corporibus, in quibus conspiciuntur, adesse; qui igne purgatorio expurgantur; quoniam locis nō sunt definiti: eos rarius, qui aut perpetuum cruciantur; aut Dei præsentia & conspectu cum summa voluptate perfruuntur.

250. Quicunq; verò apparent, non ob id fœliciores sunt, aut deterioris conditionis. Nam & beati illi, non faciunt suæ fœlicitatis iacturam; vbique enim Deum præsentem habent, quem intueantur: damnati vero & purgatorijs cruciatibus mancipati, suas secum vbique pœnas circumferunt.

251. Quando vero nō ipsi in efformatis sunt corporibus sed; quicquid fit, angelorum opera efficitur; non nobis illudunt: nec male dicimus nobis S. Petrum aut Paulum apparuisse; nisi & Deum ab hominibus visum esse negare velimus; & asserere, alienum esse à sacræ scripturæ consuetudine, rerum similitudines ipsarum rerum nominibus compellare (i).

i *Sup thes. 70.*

252. Quæris, possit ne fieri vt quando ipsi per se spiritus rebus nostris adsunt, in suis, quæ olim habuerunt, corporibus appareant? Fieri posse, demonstratur illorum exemplo, qui post Christi mortem Hierosolymam ingressi, multis se spectandos exhibuerunt, quos propria corpora assum-

assumpsisse propterea credimus, quia non rursus illa, quæ assumpserant, deposuerunt; sed ad cœlos secum transtulerunt.

253. Attamen nunquam factum esse, ratio demonstrat; quod nõ, vt tales sint, quales apparent, spiritus redeant: sed vt se solum quibusdam signis exhibeant, ad ipsorum proprium, vel nostrum viuentium commodum: hoc vero non minus efficto, quam proprijs corporibus præstari potest.

254. Siue autem adsint suis corporibus, siue adsint alienis: non eodem modo ad ipsa se habent; quemadmodum cum olim communem agerent in suis vitam. Prioribus illis, vt formæ vtebantur; his vt motores tantum; & quibus præsentiam suam testentur. Hinc est, vt non naturalis ipsarum ad hæc sit affectio, non cum voluptate illis vtantur, non cum difficultate & lucta deponant; non assumpto nutriant alimento; non negato caussa sint, vt dissoluantur. Sed & mutuam sibi olim præstabant operam. & anima quidem corpori vitam, sensum & motum conferebat; corpus vero animę functiones in intelligendo non parum promouebat: at nunc corpus animæ confert nihil; anima vero corpori motum tantum.

255. Quocirca nulli in assumptis corporibus sunt sensus, nullæ vitales operationes. Adde, quod neq; in animabus ipsis cum adsunt; sentiendi sunt facultates: nisi velis dicere, in semine esse germen & fructum, quia vim habet illa producendi. hoc certe non Theologi solum (a); verum etiam ethnici philosophi cognouerunt (b).

256. Cæterum nullus dubitat, quin animæ superiores illas facultates, intellectum scilicet & voluntatem retineant. Atque hinc est, quod pro natura illarum virium, quas secum deferunt, & operari possint & operentur.

257. Quia vero alius est status ipsarum, quando corporis mole sunt liberatæ; alius quando corporibus vtuntur: alius quoque modus est intelligendi. In assumpto corpore non speculantur phantasmata, quod necesse est nobis, dum viuimus (c). sed neq; per sensus, quibus tunc carent, phantasmata possunt colligere.

258. Intelligunt nihilominus. & quidem beatorum spiritus Deum vident, & cum Deo absolutam habent rerum omnium, prout status illius conditio postulat, cognitionem. Intelligunt & qui deterioris sunt conditionis: verum illa; quæ per species, hic per sensus acquisitas, in intellectu vna cum scientijs retinent & conseruant. Sed & de nouo quædam intelligere non negamus; verum id fit, non corporis, in quo sunt subsidio; sed per species aut de nouo acquisitas, aut alia ratione subministratas.

259. Quærenti, vtrum ea, quæ à nobis, ipsis per corpora præsentibus peraguntur, cognoscant: respondemus, quod cum singulari fiat Dei dispensatione, vt rebus humanis interfint, conditionesque suas non ob id mutent: ipsas non suis viribus, sed angelorum opera, non secus atq; per interpretem cognoscere, quæcunq; nos vel ipsis dicere, vel præstare arbitra-

a Thom. 1. p. q. 77. ar. 8. & cæt.

b Arist. de sõno et vigilia c. 1. 2. de anima. tex. 21. 12. metaphy. tex. 17.

c Thom. 1. p. q. 54. art. 4.

bitramur. Huc facere videtur, quod B. Gregorius(a) habet. Mortui (inquit) vitam in carne viuentium, post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia vita spiritus longe est à vita carnis; & sicut corporea, atq; incorporea, diuersa sunt cõditione: ita sunt distincta cognitione. Facit & illud Augustini(b). Nesciunt mortui, etiã sancti, quid agant viui, & eorũ filij.

a Greg. 12. moral cap. 13.

b Aug. de cura pro mort. c. 16.

260. Sed & id libenter cum S. Thoma fatemur (c), quandoque ipsos spiritus latere, quod nostris rebus interfint: quemadmodum & viuentes alijs in somno apparere, docet B. Augustinus, suoque exemplo confirmat, & tamen nihil horum scire (d).

c Thom. 1 p. q. 89 ar 8. ad. 2.

d Aug. de cura pro mort. c. 10.

261. Hoc vero damnatis spiritibus frequentius putamus accidere: rarius ijs, qui in purgatorio satisfaciunt: rarissime beatis, quorum conditio postulare videtur, vt quæ circa ipsos, & ipsorum nomine peraguntur, cognoscant (e).

e Thom. 1. p. q. 89. ar. 8.

262. Sed non intelligendi solum vi valent spiritus hominum, qui apparent: Insuper & actus virtutum exercent illi, qui fœlicem agunt vitam, quiq; nondum pro peccatis satisfecerunt: at qui æternis supplicijs addicti; nihil prorsus faciunt bene, sed peccant semper. Verum neque illi ob hoc merentur quidquam: neq; hi pœnas suas hac ratione augent. Vbicunque ceciderit lignum, ibi manet (f). Venit nox, quando nemo potest operari, (g). Tempus sementis, est præsens vita, (inquit Hieronymus) (h). & D. Augustinus hic omne vult meritum comparari, quo possit post hanc vitam quisque grauari vel ~~reuelari~~ (i). *leuari.*

f Eccles. 11.

g Ioan. 9.

h Hieronym.

i Aug. in Enchyrid. c. 100.

263. Quare errauit Lutherus, asserens animas in purgatorio, perpetuo peccare, quam diu requiem quærunt, & pœnas horrent: quasi quærant quæ sua sunt, non autẽ Dei volũtatem. Si semper peccant; quis aliquando finis purgationis? Non semper peccatum est, pœnas horrere; & requiem quærere: nisi & Christum peccasse dicere velimus, quando à se rogauit transferri calicem (k): & item Apostolũ, qui sua quæsiuit, quando cupiuit dissolui, & esse cum Christo (l).

k Matth. 26.

l Phlip. 1.

264. Negauimus animas mereri, vel demereri; dum in assumptis corporibus bene vel male faciunt: at satisfacere pro peccatis quasdam, non negamus. Non enim illa vita satisfactionem, quemadmodum meritum excludit; licet alia huius vitæ, quam illius, in satisfaciendo sit ratio.

265. Habent igitur animæ in peregrinis corporibus, superiores quas diximus facultates. Sed & habent potestatem se suaque in quibus apparent corpora, mouendi. Si enim se mouere non possent, miserabiliores essent etiam imperfectissimis quibusque animantibus, quibus vt se moueant, concessum est: inanis esset in ipsis naturalis appetitus, quo vtique ad locum se transferre desiderant: & in vno loco existentes; citra externum adminiculum, inde auelli non possent. Denique cum corpus, quod informant, de loco in locum mouere possint; cur non poterunt & se solas aliò transferre, præsertim quando mouendi facultatem per separationem non amittunt?

266. Quod si, & suum, & aliud seiunctum, per suum potuerunt magna faci-

facilitate, quocunq; liberet impellere; hanc vero vim, dum hinc discedunt integram conseruant: quis non videt, ipsas aliquod corpus, quod non informant, mouere posse?

267. Sed licet mouendi facultas animabus separatis non debeat adimi: non tamen par ipsis cum Angelis; sed neque par in vtroque statu tribuitur. Est multo minor, quam Angelis; quia illi naturæ perfectæ sunt, non naturæ partes: est multo etiam minor, quam in hac vita habuerunt; quoniam vnio formæ cum propria materia multo est naturalior, multoque validior; quam cum aliena. sed nec est tanta in ipsis vis, cum sunt motores tantum: quanta est, cum & motores, & forma sunt simul.

268. Sequitur hinc errare eos, qui animas corpora vastiora suis, ingredi posse arbitrantur, illaque quò libitum esset, impellere docent. Sequitur & illud, ipsas vel non posse, vel certe expedire non posse, mouere sua, quæ semel deseruerunt corpora; si diuina dispensatione ad ipsa redire contingeret.

269. Fatendum vero est, quod quamuis & se & alia moueant animæ; non eodem tamen modo se mouent; quo corpora; sed quo spiritualia & corporis expertia. Sed neque eodem modo corpora sua mouent separatæ & seiunctæ. In corpore enim vt formæ adhuc existentes; non totam corporis molem simul impellunt; sed dum vnam mouent partem, altera quiescit, & quiescens virtute ex animabus accepta, mouet partē motam. dum autem extra corpus agunt, non partem post partem mouent, sed totam simul molem impellunt; licet præstigijs quibusdam, aut alia ratione, eiusmodi corpus organicè moueri, posset videri.

CAPVT XIII.

De causis apparitionum humanorum spirituum in genere, atq; item illis, quæ singulis spirituum generibus conueniunt.

270. Causarum genera quatuor sunt (a). Ea in spirituum humanorum apparitionibus inueniuntur omnia. ipsarū materia pleumque est aër condensatus; Efficiens, Angelus nunc bonus nunc malus. Forma, species quæ se sensibus offert. Finis multiplex. De prioribus dictum est satis. De fine nunc præcipua est inquisitio.

a *Aristotel. 3. Physic.*

271. Certe multis magnisque de rebus apparitiones nos admonet: siue vniuersum ipsarum genus attendas; siue causas, ob quas spiritus diuersi, ex diuersis sedibus ad homines reuertantur, consideres. Nempe & nobis egregiò in fide & vitæ integritate promouenda consulunt, & suā ipsi spiritus quandoque causam agunt; & denique in vtroque, Dei gloria non parum promouetur.

b *Matth. 22.*
c *Vide Aug. li. de hæres cap. 83.*

272. Genus apparitionum primum omnium docet, animam hominis non interire cum corpore, brutorum more: vt impie docuerunt Saraceni (b) & Arabici quidam (c): sed corporis ergastulo exutam (quod diuinæ (d) habent literæ), aliam vitam viuere, longe ab hac diuersam.

d *Matt. 25. & 10. Luc. 16. Sapient. 3. Apoc. 6.*

Docet

274. Docet secundo, non impossibilem esse corporũ resurrectionem; cuius quædam similitudines sunt hæ spirituum apparitiones. Esto, alia sit illorum corporum, alia assumptorum ratio; certe difficilius non est Deo, proprium restituere animæ, quam accommodare alienum.

275. Sed & Deum viuis simul atque defunctis dominari, perspicue hinc colligitur; quando & defunctorum animas in negotijs Dei occupari, & Dei nutu atque voluntate gubernari, non secus atq; viuentium res, perspicimus.

276. Quid, quod ipsarum animarum conditio & natura, non parum hac ratione innotescat? Intelligimus hinc ipsas ad angelicas mentes, & prorsus spiritales creaturas proxime accedere: intelligimus non ea lege corpori coniunctas esse, vt sine ipso nequeant subsistere: intelligimus non ita in intelligendo phantasmatibus indigere, vt si ipsis destituantur, prorsus otio debeant dissolui.

277. Adde quod, si diligentius animum aduertamus; insignem quoq; in hoc negotio, Dei potentiam perspiciamus; quando talem spiritum creauit, qui & corpore non videatur egere, cum corporis nexibus absolutus, in peregrina se forma exhibet; & à corpore non videatur posse separari, quando corporis mole est circumdatus.

278. Deniq; societatis, quæ nobis cum ipsis communis esse debet, nos admonere videntur: ne idcirco illam deponendam putemus, quia grauem hanc, vt ita dicam, corporum sarcinam depositerunt: sed tanto studiosius fouendam, & augendam sciremus; quanto ipsi præter status sui conditionem, plura nobis argumenta, eius & conseruandæ & augendæ præbent.

279. Et hi quidem fructus vniuersum apparitionum genus sequuntur. Fines vero ob quos, vel beati spiritus, vel perpetuo infœlices, vel illi, qui in purgatorio pœnas luunt, viuentium rebus interfunt, pro conditione status ipsorum, alij sunt, atque alij.

280. Sunt qui beatos spiritus propterea ad viuos redire contendunt, quod non statim ad cœlos euolent; sed communem corporum gloriam exspectare debeant. Verum licet patribus veteris testamenti, etiam ab omni culpa & pœnæ reatu liberis, ad tempus exspectandum esset: vbi tamen nunc est absolutum pretium redemptionis humanæ; patefacti sunt cœli, & sanctis liberrimus in ipsos est ingressus.

281. Profecto non ille clamasset, Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei (a); nisi certo cognouisset, iam iam se ad beatas illas mansiones transferendum; & eum visurum; pro cuius nomine sanguinem profundebat. Scimus clamat alius (b), quoniam si terrestris nostra domus huius habitionis dissoluatur, ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Habemus, (inquit) vt obseruat Damascenus (c) non habebimus, quia scilicet, protinus habetur illa domus, ex qua hæc dissoluitur. Sed idem ipse Paulus (d) cupiebat dissolui, & non alicubi sub altari latere, sed esse cum

a *Actuum 7.*
b *2. Corinth. 5.*
c *Damasc. in*
d *Philip. 1.*

Christo. Iam Dominus ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem (a), illam videlicet, cui nondum in cœlum patebat introitus, quia nondum effusus erat sanguis agni.

282. Constat præsentem hanc vitam stadium esse, in quo summus ille Agonotheta (b) pro cœlestis beatitudinis brauio, vult nos currere: arenam; in qua idem ille contra carnem, dæmonem & mundum, nos vult pugnare (c): atqui post exantlatum diei laborem, absolutamque militiæ molestiam, stipendia statim exolui solent.

283. Quocirca bene Augustinus (d). sanctorum (inquit) animæ exeuntes de corpore, ad Christum vadunt: exspectantes resurrectionem corporis sui, vt ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ, in inferno sub timore positæ, exspectant resurrectionem sui corporis, vt cum ipso ad pœnam detrudantur æternam.

284. Scio fuisse quosdam, & quidem non vulgaris authoritatis homines, qui contrarium asserere videntur (e): qui si dicere voluerunt, plenũ illud, & consummatum præmium, quod ex vtriusque partis animi scilicet & corporis beatitudine conflatur, nõ ante extremum iudicij diem perceptum iri; libenter ad illorum sententiam accedimus: si verò ad animam, nullam prorsus fœlicitatem peruenire, nisi & in corpus suã redundet; contrarium cum definitione Ecclesiæ tuemur (f).

285. Quocirca quas animabus sub altari Apostolus audiuit (g) factas promissiones; non de ipsarum, sed corporum gloria olim conferenda intelligendæ sunt. Et veteris testamenti patres, inquit Apostolus (h), ne sine nobis consummarentur, non acceperunt repromissionem: illam scilicet, quę absolutum habet præmium corporis & animę. Quanquam nec sine nobis, id est, noui testamenti hominibus fœlicitatem sunt consecuti: quia nimirum cum captiuitate, quam triumphator Christus duxit captiuam; Ioannem Baptistam, Innocentes pueros, & alios fuisse non dubitamus.

286. Non ergo idcirco ad nos redeunt beati spiritus, quia à cœlo adhuc excluſi sunt. Cur igitur? An forte quicquam nostra opera indigent? aut repleti sunt ab vbertate domus Dei (i). Non quærunt opes: quia gloria, & diuitiæ in domo eius (k): non corporis commoda, quia illud iam deposuerunt: nõ rerum nostrarum statum & conditionem cognoscere; quia omnia vident, qui videntem omnia vident (k): non orationes & subsidia, quibus iuuentur; quia nulla re egent.

287. Quicquid ab illis in hoc negotio fit, in nostrum cedit commodum & vtili-

a *Psal.* 67.

b *Corinth* 9.

c 2 *Timoth.* 2.

d *Aug. de dogmat. Eccles. cap.* 78.

e *Bernar sup* 6 *Apocal. & serm* 4 *de omnib. sanctis. Irenæus Lugdun. in fine li.* 5. *aduers. hæres. Iustinus lib. qq. ex gentibus propositarum q.* 46. & 60. *Tertullianus lib. aduers. Marcion. & lib de anima. cap. pen. Clemẽs Rom. lib Hypotyp.* 2. *Origen. hom.* 7 *in Leuitic. Lactantius li. Institut cap.* 21. *Victorinus Martyr supra* 6. *Apoc. Prudentius in præmat. Ambros. lib.* 2. *de Cain et Abel. ca.* 2. 4. *lib. de bono mortis ca.* 10. *Chrys. hõ.* 39. *in* 1 *Corinth. Augustinus in Psal* 36. & *lib* 12. *de genes. ad* *

* *literam cap.* 9. *Theodoretus Cyrensis in* 11. *ad Heb. Oecum. ibidem Theoph. ibidem. Euthym in* 23 *Lucæ, &c. e Benedictus* 11. *in sua Extrauag. Innocent.* 3. *cap. Apostol. Conc. Florent. sub Eug.* 4. f *Apocal.* 6. g *Hebræ.* 11. h *Psal.* 35. i *Psal.* 111. k *Greg. lib.* 12. *Moral. cap.* 13.

& vtilitatem. nempe vel Dei mandata ad nos perferunt (a): vel de ſtatu ſuo nos faciunt certiores (b): vel, quæ nobis vitæ tenenda ratio, edocent (c): vel, vt iram Dei caueamus, hortantur (d): vel mutuæ nobis charitatis ſunt authores (e): vel ſanitatem reſtituunt (f): vel mala impendentia à ceruicibus noſtris depellunt (g): vel hinc decedentibus ad cœlum, viæ ſeduces & comites exhibent (h): vel alia verę pietatis & charitatis dona exequuntur.

288. Et licet pleraque horum Dei diſpenſatione, in hunc finem fiant; vt intelligamus ipſos etiam in honore habendos: cultus tamen ijſdem præſtandi, certiora ſigna ſunt; quod graues quandoque pœnas exegerint ab ijs, qui in ſe fuerunt iniurij: quod, vt corpora ſua in honore eſſent, admonuerint; quod ſingularibus priuilegiis ſui ſtudioſos proſecuti ſint.

289. De ſepultura ipſorum corporibus exhibenda, teſtantur Ambroſius (i) & Auguſtinus. Huius hęc ſunt verba (k). Feruntur (inquit) mortui nonnulli, vel in ſomnis, vel alio quocunque modo apparuiſſe viuentibus; atq; vbi eorum corpora iacerent inhumata, neſcientibus, locisq; monſtratis admonuiſſe, vt ſibi ſepultura quæ defuerat, præberetur. Hæc (inquit) ſi falſa eſſe reſponderimus, contra quorũdam ſcripta fidelium, & contra eorum ſenſus, qui talia ſibi accidiſſe confirmant; impudenter venire videbimur.

390. Vindictam eoſdem ſumpſiſſe vno exemplo oſtendiſſe ex Nicephoro ſuffecerit (l). Cùm Cæſar Mauritius imperaret, Chriſtiani quidam parum chriſtianè in caupona compotabant; & lepidos ſe ſatis eſſe non putabant, niſi inter compotandum, conuitijs in B. Virginem iactis, impurè certarent. Hos ſtatim grauiſſima vltio ſecuta eſt. Hoſpes verò in cuius ædibus blaſphemi conuenerant, non tam grauem quidem, ſed tamen ſuam etiam ſenſit punitionem. Dormienti aſtat Beata Virgo, perſtringit verbis: & vitam quidem rogata donat; vimine autem genua eius circumcirca, velut exarãs circumſcribit. Id vbi factum, diſparet illa. Hic è ſomno excitatus, à reliquo corpore diſrupta inuenit, & iuſtum Dei iudicium, non oris ſolum teſtimonio, ſed corporis quoque habitu promulgauit.

291. Verum offendit hoc quoſdam (m) quod ſancti defuncti crudeles ſe oſtendant aduerſus ſacrilegos. hic, inquiunt, ſpiritus patefaciunt, & declarant ſe eſſe ſpiritus homicidij. Cur ergo non accuſant Petrum Apoſtolorum principem propter Ananiam & Saphyram (n)? Eliam propter quinquagenarios (o)? Heliſeum Prophetam propter necatos pueros (p) Prodidit Beda S. Petrum, Laurentium Cantuarienſem Epiſcopum à grege tenero, ac Chriſto recens initiato, fugam meditantẽ; noctè flagellis cecidiſſe (q). Narrat Tertullianus Chriſtianum quendam noctè diuinitus flagellatum; quod more Idololatrarum, fores coronauerit (r). Refert Euſebius, Natalium Confeſſorem ab angelis cæſum, quod ſe factioni hręreticæ adiunxerit (ſ). Teſtatur Auguſtinus vtrem ſibi ſuiſque

a *Niceph. lib. 10. cap. 12.*
b *Greg lib. 4. dialog. c. 40.*
c *Supra theſ. 207.*
d *Platina in vita Leonis.*
e *Niceph. lib. 14. cap. 28.*
f *Procopius in ædif. Iuſtinian.*
g *Glycas 4. p. annal.*
h *Greg. 4. dia. cap. 14.*
i *Amb. ſerm. de Geraſ. & Protha.*
k *Auguſt. de cura pro mort. cap. 10.*
l *Niceph. copioſ lib. 18. cap. 33.*
m *Centuriatores Cent. 6. ca. 15. part. 813. 815. 819.*

n *Actuum 5.*
o *4. Regum 1.*
p *4. Regum 3.*
q *Beda Hiſto. Eccleſ lib. 2. cap. 6.*
r *Tertullia. aduerſus Praxe.*
ſ *Euſebius li. 5. cap 28.*

Hipponensibus notissimam,ciuem quendam Hipponensem,quia iusiurandum ei detulerat, quem peieraturum nouerat, ad Dei tribunal raptum,& grauissime cæsum esse, & postridie plagarum vestigia in dorso eius apparuisse (a).

a *Aug. in Sermone recens Louanij editis sermo. 117.*

292. Et hæc causa est, cur ad expugnandas has apparitiones, tot tormenta aduehant aduersarij:quia scilicet vident,non posse se, non summæ impudentiæ argui,si fidem apparitionibus habeant; & sanctorum cultum venerationemque euertant.

293. Nec tamen idcirco quis putet nos asserere sanctos honorandos, quia in corporibus viuorum rebus interfunt,suumque cultum vel verbis,vel alijs rationibus imperant. Dicimus venerandos, quia in cœlis degunt cum Christo (b):quia filij sunt & hæredes Dei(c):quia cohæredes Christi (d):quia in Angelorum consortium admissi(e):quia adepti repromissionem (f):quia hîc pie integreque vixerunt(g): quia gloria & honor omni operanti bonum(h):quia honorificantur à patre,ob ministerium Christo exhibitum(i): denique quia nostram causam agunt in cœlo semper (k).

b *Apocal.20.*
c *Roma.8.*
d *Ibidem 8.*
e *Matth.22.*
f *Ad Heb.11.*
g *Hebræ. 11.*
h *Ad Roma.1.*
i *Ioan. 12.*
k *Infr. thes. 365.*

294. Absit vero,vt cultus sanctis exhibitus nos idololatras cõstituat. Deo supremum,quem possumus,religionis cultum tribuimus, ipsumq; vitæ nostræ authorem, & salutis consummatorem libenter profitemur: at sanctos tanquam Dei amicos,nostrosque apud Deum patronos,& intercessores,longe inferiori honore prosequimur.

295. Sed & alia de causa has apparitiones oppugnant: ob quas nos ipsas vehementer probamus:quia scilicet sanctos cum Christo regnantes: nostras præces & vota percipere pluribus argumentis hinc ostenditur. Quid à me petis Lucia,dicebat S. Agatha, quod ipsa poteris continuò præstare matri tuæ (l)? Implorat beatæ Virginis opem Damascenus, sibique cupit manum restitui: & ecce ipsa quasi coram, vocem loquentis audisset, statim votis satisfacit (m). Petit docile ingenium & diuinorum scientiam Rupertus Tuitiensis:& adest in somnis eadem Virgo, simulque promittit & præstat, quod petitur (n), &c.

l *Surius Tomo 6 in vita Luciæ.*
m *Supra thesaur.*
n *Ibid.*

296. Quocirca quod B. Augustinus habet (o). Nesciunt mortui etiam sancti,quid agant viui,& eorum filij,ipsorum vires naturales in cognoscendo arguit (p):alioquin diuinitus illustrati, quid non vident, qui omnipotentis Dei claritatem vident (q)? Sciunt angeli pœnitentiam peccatorum;alioquin quomodo gauderent,super vno pœnitentiam agente(r)? Gabriel cognouit orationem Danielis (s). Raphael preces Tobiæ (t): & hsi similes fore sanctos, confirmat oratio Christi (u). Sed nec orasset multum pro populo Hieremias,si grauem suorum miseriam non perspexisset (x).

o *Aug. de cur. pro mort. c. 13.*
p *Thomas 1 p. q. 89. ar. 8.*
q *Greg. 12. Moral. c. 13.*
r *Lucæ 15.*
s *Daniel. 10.*
t *Tob. 12.*
u *Matth. 22.*
x *Mach 12.*

297. Et quidem quatuor modis B. Augustinus mortuos de nostris rebus certiores fieri existimat(y). Possunt (inquit) audire ab ijs, qui hinc ad eos moriendo pergunt;possunt & ab Angelis, qui rebus nostris sunt præsto,percipere;possunt spiritu Dei reuelante cognoscere;possunt denique ex viuis,ad quos quandoq; mittuntur;intelligere.

y *Aug. de cur pro mort. c. 4. & 15.*

298. Si

298. Si verò spiritus boni nostras preces audiunt: quid quæso peccamus, quando ipsos, vt nostram causam apud Deum agant, imploramus? Dicis: Audire non possunt, quia mortui sunt: at viuere docet scriptura (a), & audire posse, testatur Augustinus (b). Non possunt, pergis, quę petimus conferre: at non vt dent, sed vt impetrent à Deo, qui dare potest, rogantur. Cedit, ais, in iniuriam clementissimi Dei, qui paratissimus est, vt per se omnia tribuat, nullis interuenientibus sanctorum precibus: at non minus clemens olim Deus fuit, quando tamen ad Abrahami preces pepercit Abimelech (c), & sacrificijs Iob placari voluit, ne in illos pro meritis animaduerteret, qui grauiter in ipsum deliquerant (d).

a Matth. 22.
b August. vbi sup.
c Genes. 20.
d Iob 42.

299. Sequitur & hinc, ipsos sanctos pro nobis intercedere, & causam nostram apud Deum agere. quoniam cum sciant vota nostra, atque desideria; ipsi verò flagrent incredibili charitate: dubitare non possumus, quin quod possunt, & pro charitate debent, velint. Non est credendum (inquit Augustinus) (e) tunc sanctos viscera misericordiæ exuturos, cum fuerint plenissimæ & perfectissimæ sanctitatis: vt qui tunc etiam orabant pro inimicis, cum ipsi sine peccato non erant. Hinc bene Origines (f) docet sanctorum animas cum pijs precari: hinc Augustinus, viuentibus opitulari (g) Gregorius Nazianzenus nos pascere (h): Basilius communes generis humani esse custodes, & optimos curarum socios (i): Prudentius salutem hominum seruare (k).

e Aug. de Ciuit. cap. 18. & sermo 18. de Sanctis.
f Orig. lib. 8. contra Cels.
g Aug. de cura pro mor. c. 16.
h Greg. orat. in Cypria. & Athan.
i Basil. hō. 32.
k Prudent. in carm de Agnete Rom.

300. Sed plures constituimus mediatores. quid tū? Constituit se Moyses mediatorem inter Deum & populum (l). Paulus inter Deum & Israëlitas (m). Vnus est mediator Dei & hominum (n): verum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: quales sanctos asserere, citra summam Creatoris iniuriam, nemo mortalium potest.

l Exod. 32.
m Rom. 9.
n 1. Timoth. 2.

301. Magnum ergo pondus, rebus Christianis afferunt beatorum spirituum apparitiones. Nam & fidei dogmata egregiè illustrant: & mores Christianos non parum informant. At non idem finis est damnatorum spirituum.

302. Qui animas sceleratorum hominum, in dæmones conuerti asserunt, quod Tertullianum sensisse scribit B. Augustinus (o) & ita dæmonum studia in effictis corporibus imitari: non attendunt Christum docere aliam dæmonum, aliam damnatorum conditionem esse, quando maledictos mittit in ignē æternum, paratū diabolo & angelis eius (p).

o August. ad Quodvultdeu. cap. 86.
p Matth. 25.

303. Qui putant ipsas nostra suffragia expetere, vt aut mitius cū ijs agatur, aut à pœnis illis aliquando absoluātur, aut esse saltē desinant: ignorant, impijs nullam esse spem reliquam (q), nec leuioris quidem supplicij. Ignorant ignem æternum illis esse paratum (r), ex quo nunquam sunt egressuræ. Ignorant eam esse ipsarum conditionem, vt desinere esse nequaquam possint (s).

q Sap. 5.
r Matth. 25.
s Vide Sixtū Senens. lib. 6. c. 47. biblio.

304. Qui volunt apparitiones supplicij esse leuamen; quasi ex inferno egressę à grauitate pœnarum paululum respirent, & solatium quoddam ex hominum conuersatione accipiant: nesciunt continuas esse im-

a *Lucæ 16.* piorum pœnas (*a*); & omni prorsus solatio indignas, quæ quam habuerunt benè merendi occasionem, superbe & contumaciter reiecerunt.

305. Sunt qui velint ipsarum studium & nocendi libidinem hunc nobiscum conuersandi modum expetere. Sed licet nocere cupiant omnes, & benefacere possint nihil: in ipsarum tamen nequaquam est potestate, vt corpora induant, & pro libidine quæcunque volunt, exequantur.

306. In nostrum cedit commodum comprimis, & diuina fit dispensatione, quod spiritus illi appareant, nosque suarum pœnarum certiores reddant. Nempe vt sciamus, non solum aliam esse vitam, quæ hanc sequitur; verum etiam in illa diuinæ iustitiæ haberi rationem singularem; & verissima esse, quæ de reproborum pœnis passim sacra testantur eloquia (*b*).

b *Matth. 8. 22. 24. 25. Lucæ 13. Marc. 9. Isaiæ 66. 14. Iob 10. &c.*

307. Sed & diuinæ clementiæ erga hominum genus egregium licet hîc obseruare argumentum; quando, quibuscunque potest, rationibus, nostram salutem promouet. Sufficere poterant ad impios à vitiorum cœno ad meliorem vitam reuocandos, tot sanctissimorum hominum illustria exempla, tot libri scripti, tot graues in vtroq; testamento comminationes, tot egregiæ exhortationes. Præsumi poterat, non crediturros mortuis, qui Moysen & prophetas non audirent: sed tamen, ne qua neglecta videretur ratio nostram salutem promouendi; non imagines tantum pœnarum, sed ipsas quandoq; pœnas oculis obijcit, & illorum non sermone tantum; verum etiam habitu, & rebus ipsis exprimit, qui illas paterentur.

308. Accedit his, quod ostendant diuinæ sapientiæ non esse præscribendũ modum: quasi addictos æternis supplicijs, vno solum loco oporteat pœnas persoluere; quando & in alijs locis, visi spiritus damnatorum, eo ipso vbique iram Dei vindicem adesse posse, docuerunt, quod suas secum pœnas circumferrent.

309. Tertium genus animarum, quod ad perpetuam fœlicitatem aspirat, suam præcipuè causam his apparitionibus agere videtur. Præterquam enim quod alijs de rebus nos admonent, duobus tamen inprimis student, iustitiæ (inquam) diuinæ satisfacere, & nostram opem atq; suffragia implorare.

310. Quia enim suorum peccatorum pœnitentiam in vita perfectam non egerunt; ideo quod satisfactioni pro hac vita conuenienti defuit, in altero seculo oporter persoluatur: & quidem in assumptis quandoq; corporibus, vt quo maior hac ratione ad ipsas animas pœna deriuatur, eo perfectius satisfiat diuinæ iustitiæ (*c*).

c *Greg. 4. dialog. cap. 55.*

311. Quid verò prohibet, vt in externa specie postulent, quod continuo studio votis ardentibus vrgent? Neque enim eo loco ipsas habet diuina clementia, vt de iure suo nihil putet esse remittendũ, nullamque miseris impendendam indulgentiam. vt filios castigat paternè, & per se clementissimus patitur, vt aliorũ subinde ope atq; subsidio subleuẽtur.

312. Quid quod quemadmodum pleraque religionis Christianæ mysteria

steria etiam externis apparitionibus cõfirmantur: ita hoc eodem genere, purgatorij testes esse voluerit Deus animas, quæ inde egressæ, ad viuos redirent? Mysterium Trinitatis, si Augustino credimus (a) exhibuerunt tres Angeli visi Abrahamo (b): Incarnationis Christi similitudines quædam fuerunt spiritus patribus exhibiti (c). Alterius vitæ testes sunt defunctorum animę ad viuos reuersæ (d). Honoris & cultus sanctis impendendi, eædem animæ (e). Possunt ergo fidem facere purgatorio illæ ipsæ, quæ inde egressæ, in assumptis corporibus rebus humanis interfunt.

313. Quapropter ex hoc loco duobus modis ignis purgatorij authoritas astruitur. Nam & animæ se nostro auxilio iuuari testantur: & Deus in hunc finem ad viuos reuerti ipsas permittit, vt hanc rem, tanquam certissimi testes, confirment.

314. Sed forte ridemur, qui incertis reuelationibus, vt videtur, fidem facimus purgatorio. Verum quomodo incertæ vel esse vel dici possunt, quæ tam multis & insignibus authoritatibus confirmantur? Sed neque ex reuelationibus purgatorium esse probamus: verum iustissime assertum ab omnibus Catholicis, ex ijsdem ostendimus. Alioquin si ad hanc rem confirmandam parum exspatiari liceret; non deessent scripturæ illustria testimonia (f): non grauissimorum conciliorum authoritas (g) non summorum pontificum insignia suffragia (h): non sanctissimorum patrum sensus atque consensus (i): sed nec ratio ipsa; quam prophani authores, tanquam ducem secuti, cognouerunt non statim quascunque animas ad beatas sedes transuolare, sed quasdam prius, ita ipsarum meritis exigentibus, dignis supplicijs expiari (k): vt interim taceam aduersarios, qui non parum in hoc negotio inconstantes sunt, & trepidant (l).

315. Sed nolumus in hoc negotio esse molesti. id dicimus, ex harũ animarum nobiscum conuersatione, nõ id solum nos discere; vt credamus purgatorium esse; verum etiam cognoscere, nó de statu suo, illas esse incertas: quod à quibusdam asseritur (m). Sciunt quod tanquam filij à Deo castigentur, eoq; libentius pœnas sustinẽt; quo certius constat, aliquando liberandas esse, & beatis illis mentibus coniungendas (n).

a *Aug. li. 2 de Trinit. c. 11.*
b *Genes. 18.*
c *Supra thesi 143.*
d *Sup. the. 263.*
e *Sup. the. 207.*
f *Matth. 12. Apocalyp. 21. 2. Machab. 12. 1. Corinth. 3. Ad Ephes 2.*
g *Carthag. 3. can. 29. Cartha. 4. c. 20. & 95. Vien. c. 2. & 6. Valent. can. 4. Aurelian. 2. c. 14.*
h *Bracha. 1 cap. 34 & 39. Bracha. 2 can. 10. Antisiod. can. 17. VVorm. cap. 10 Tiburt. cap. 15. 16 31. Toleta. 7. ca. 2 Latera. Maxi. can. 66. Const antiens. sess. 8 & 5. Florẽti. in decreto vnionis.*

Trident. sess. 6. can. 30. & sessio 25. cap. 1. i *Clemens Roma. in epist. 1 ad Iacob. fratrem domini. Symmachus in Concilio Roma. Grego. Mag. 4. dialog. & c. Grego. 2. in epistola ad Bonif. Innocent. 3. de celebrat. missæ. c. Cum Martha. Eugenius 4 in decreto vnionis. Concil. Florent.* k *Aug. lib. de cura pro mortuis agenda & alib. Hiero. in fine lib. 18 in Isaiam. in vita Paulæ. Ambros. in oratio. funebri. Gratia de obitu Theodosij & in comment. 1. Corinth. 3. Greg lib. 4 dialog. cap. 15. Cyrillus lib. 14. in Leuiti. Cypria. lib. 4. Epist. 2. & 5. Origenes homil. 6. sup. Exodum. Dionysius de Eccles. hierarh. c. 7 Basilius in Liturg. precatione 3. Nazianz. orat. 7. Chrys. homil. 32. in Matth. & homil. 3. in c. 1 Epist. ad Philemo. Damas. ser. de ijs qui in fide dormierunt. Theop. in 12. Lucæ. Epipha. contra hæreses lib. 3. hæres. 78. Tertull. in exhorta. ad Castitatem.* l *Indi celebr. anniuersarium. Tom. 4. litera: Indica. Plato in Phædo. Turcæ in suo Alcrano, Vergilius 6. æneidos. vide cap. dec im. de purgatorio Theodo. Peliani.* l *Luth. in articul. à Leon. 1 damnatis art. 38. & 39. admittit purgato. & in resolutione Indulgen. conclus. 15. & in disputatione Lypsiæ habita. alib. negat.* m *Luther. artic. 5. & 38. à Leone damn.* n *Vide c. 13. Pelta. de purgatorio.*

316. Didicimus etiam ab ijsdem, quibus potissimum rationibus ipsis subueniatur: ijs nemirum, quas & antiquitas probauit, & sacræ scripturæ insigniter commendant: oratione (inquam) (a), elemosyna (b) ieiunio (c) & sacro missæ sacrificio (d), quibus se adiuuari ipsæmet testatæ sunt, & adiutas, experientia probauit.

317. Hinc bene S. Augustinus (e), Orationibus, sanctæ Ecclesiæ (inquit), & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur; non est dubitandum, mortuos adiuuari; vt cum ijs misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus id est Apostolis traditum, vniuersa obseruat Ecclesia. Bene item B. Gregorius (f) Animæ (inquit) defunctorum, quatuor modis soluuntur: aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunijs amicorum.

318. Verum non eadem omnium horum operum ratio est. Siquidem ieiunium rectius inter satisfactoria opera ponitur, quam inter suffragiorum genera. Licet enim molestum sit, & carni infestum; non ita tamen ad alterum refertur, atque ad ipsum ieiunantem.

319. Sic neque reliquorum suffragiorum omnium vis est vna. Primas obtinet sacrificium altaris; tum quia in ipso vnigenitus Dei filius, offertur, tum quia per Ecclesiam, cuius deuotio est gratissima Deo, offertur; tum denique quia à temporibus Apostolorum ad nostrum hoc seculum tanquam præsentissimum remedium, illud frequentauit sancta & Apostolica Ecclesia; vt diserte docent Chrysostomus (g), Damascenus (h) Isidorus (i) Rabanus (k).

320. Interim licet hoc sacrificium multis de causis principem locum obtineat: potest tamen vsu venire, vt satius sit largas eleemosynas erogare, quam sacrificium missæ frequentare: vt interim taceam eleemosynas magnam habere in scripturis commendationem (l); multum valere ad expianda peccata (m); & patres, qui de mortuorum suffragijs scripserunt, harum magnam rationem habuisse (n).

321. Habet igitur postremum locum oratio, si generatim hac de re loquamur: quamuis propter orantis pietatem, & sanctimoniam, plus aliquando apud Deum efficere valeat, quam vel sacrificium, vel eleemosyna. Neque quamquam tamen: Iulia de Sacrificijs in libris Gratiani?

CAP.

a Clem. in 1. Epist. Aug. serm 34. de verb. Apost. & in Enchir. cap. 110. Chrys. homil. 21. in act. Dionys. de Eccles. hierarch c. 7. Damas. in serm. de his qui in fide migrarunt. Cartha 4. c. 95. Valent. c. 4. Agathens. c. 4. Tole. c. 22, Trident. cap. 1. Eugenius 4. in decreto vnion. Cartha. 4. can. 79. Abdi li. 5. histor. Apost. Basilius in liturg. Chrys. hom. 1. in epist. ad Phili. Epiphan. lib. 3. hæres. 78. Effrem in suo testament. Cyril. Catheches. 5. Tertul. ex hortat. ad Castitatem. Hieron. in vita Paulæ. Ambo. in orat. funebri Valent. August. lib 9 cap. 12. confessio. & c. b Clemens in 1. Epist. Chrysost. homil. 21. in act. Tobiæ 4. Symma & habet. 16. quæst. 1 cap. in can. Eugenius 4. in decret. vnionis. Theoph. ad cap. 12. Luc. c Gregor. & hab. c. Animæ. 13. q. 2. 1. Reg. vlti. Ino Carnotens. Episc. li. 5. c. 124. d Aug. 34. de verb. Apost & in Enchir. c 110. Athanas. in lib. de varijs qq. q. 34 Basil. in sua liturg Chrys. hom. 21. in acta. & 69 ad pop. Greg. 4 dialog c. 15 Innocent. 3. de sepultura. c. fraternitatem Honorius 3 de celebr. missar. Eugen. 4. in decret. vnio. Cartha. 4. c. 79. Aurelia. 2. Bracch. 1. c 34 Bracch. 2. can. 16. VVorma. can 10. Chrys. homil. 1 in Epistol. ad Philipp. Theop. ad ca. 12. Luc. Cyprian. lib. 1. Epist. 9. c Aug. serm 34. de verbis Apost. f Greg. & hab. c. Animæ 13. q. 2. g Chrys. hom. 69. ad pop Antioch. h Damas. ser. pro defunct. i Isido. li. Officio. k Raba. sup. 12. c. 2. Machab. l Deut. 15. Tob. 4 & infinitis locis. m Daniel. 4. n Clemens Epist. 1. ad Iacob. Orig. lib. 3. in Iob. Athanas. li. de varijs qq. Chryso. & alij vbi supra.

CAPVT XIIII.

De temporibus, locis, atque personis, quibus humani spiritus tam boni, quam mali, plerunque se exhibent.

QVæ de temporibus, locis atque personis, quibus se spiritus exhibent, dicenda sunt; ea pleraque omnia, quemadmodum & ipsorum spirituum ad nos reditiones, ex diuina pendent dispensatione. Quocirca in hac re, non quid fieri necesse est, sed quid factum, fieriue conueniat, expendendum. 322.

323. Atq; vt de tempore primum dicamus: Olim in veteri lege, rariores fuerunt apparitiones, & præter trium hominum (a) nullarum fit in diuinis literis mentio. Sed nec res, nec hominum conditio illas postulare, vel tuto admittere posse videbatur. a *Thes.* 103. &c.

324. Post extremum iudicij diem, nullæ prorsus erunt: quoniam nec vlli omnino erunt spiritus, singulis ad sua corpora iam reuersis. Nec si essent, vllam haberent, cur se exhiberent, rationem.

325. Tempore gratiæ sunt frequentiores, quando etiam plura diuinæ erga humanum genus clementiæ extant argumenta. Et pulchre B. Gregorius (b) quantum præsens seculum propinquat ad finem: tantum futurum seculum ipsa iam quasi propinquitate tangitur, & signis manifestioribus aperitur. b *Greg. 4. dialog cap 41.*

326. Qui lunæ accretionem, vel decretionem, aliorum item syderum coniunctionem, & oppositionem exspectant: & facilius tum rebus humanis spiritus interesse autumãt; grauiter errant: quoniam sicut in spiritus, nihil possunt corpora cœlestia (c); ita neque vt ad nos reuertantur, promouent; neque cur minus reuerti possint, impediunt. c *Thomas 1. p. q. 115. art. 5.*

327. Minus errant, qui quatuor anni temporibus, quæ ob ieiunium & sacrorum hominum ordinationes, iam à multis seculis sunt celebria (d), facilius redire ad nos existimant. Siquidem beatorum spiritus tum maxime nostra conuersatione delectantur, quando pijs operibus diligentius vacamus: & qui ob delicta sua, nondum sunt expurgati; nos ad ipsos iuuandos, magis tum expeditos, & promptos esse experiuntur. d *Leo, serm. de ieiun. 10. mēs. Gelas. in epist ad Episcop per Luca cap. 13.*

328. Quietum vero semper quærere videntur animum, quo fit, vt diurnos tumultus fugiant; & noctibus, quando ab occupationibus mens est libera, frequentius adsint. quæ causa fuit, vt olim hominibus exhibitæ apparitiones, pleræque nocte, vel somno presis acciderint (e). e *Matt. 2. etc.* f *Greg. lib. 4. dialog. cap. 11.* g *Greg. moral. cap 11.*

329. Certum vero est, & quidem grauissimorum hominum authoritate (f), plurimisque exemplis, plerumque iustis vsuenire; vt in morte sua sanctorum visiones aspiciant; ac eorum apparentium societate, in supremo illo agone, corroborentur. Vrsinus Nursiæ presbyter, vir sanctus & castus, vidit Petrum & Paulum Apostolos (g). Probus Rheatinus Episcopus, Iuuenalem & Eleutherium (h). Galla Romana, diuũ Petrum (i). Musa puella B. Virginem (k). Trasilla Fœlicem pontificem (l). h *Greg. lib. 4. cap. 12.* i *Idem Greg.* k *Idem lib. 4. cap. 14.* l *Idem Greg. Marulus omnia l. 6 c. 16.*

330. Sunt etiam (liceat hic parumper ad totum spirituum genus excurrere)

rere) sunt, inquam, qui morientis à malignis spiritibus infestari, atque per externam formam molestari arbitrantur. Quod quemadmodum sine ratione, vel authoritate asserere, temerarium esset, ita statim damnare vel reiicere, cum multorum consensus contrarium habeat, non vacaret reprehensione. Malimus de hoc nihil asserere, quam temere quidquam definire.

331. Id certum est, tam bonorum quam malorum Spirituum occupationem non paruam esse apud morientes: & bonos quidem, in primis verò illum, qui, vt B. Hieronymus loquitur (a), ab ortu natiuitatis vnicuique in custodiam delegatur, nostram salutem impense quærere, malos verò eandem maioribus machinis & ardentiori studio oppugnare. Verùm non in hoc negotio assumptis corporibus indigent, nec necesse habent, vt nostris se sensibus ingerant.

a *Hieron. sup. Matth. 18.*

332. Certum & illud est, quod horrendis exemplis probant B. Gregorius (b), & venerabilis Beda (c), malignos spiritus etiam in externis formis, impios adortos, quando ex hac vita fuit discedendum: ipsosque impios lamentabili voce questos se damnatos, & infernali draconi, in escam traditos. Sic probamus quod B. Martinus (d) experientia didicit & docuit, in iisdem etiam formis admodum graues & molestos in eodem agone extitisse bonis.

b *Greg. 4. dialo. c. 18. et 38.*
c *Beda in hist. Angl. ca. 14. & 19.*
d *Sulpit. in vita Mart.*

333. Hic erga morientes spirituum conatus est. In ipso verò animæ à corpore egressu, asistere bonos & malos, nunc vnum, nunc plures, bene docet Bonauentura (e): & per bonorum quidem ministerium, vult iustorum animas adduci in cœlum vel purgatorium, impiorum verò per ministerium malorũ ad infernum. Verum vt ad hæc exercitia præstanda, corpora sibi aptent, nulla est ratio, quæ cogat.

e *Bonauent. in 4. dist. 20.*

334. Etenim asistunt, cum de animabus iudicium, quod particulare dicimus, exercetur: hoc verò non subit anima, dum in corpore adhuc est constituta. quousque enim præsens hæc vita decurrit, eousque semper homo, Dei gratia per veram pœnitentiam conuertere se potest ad Deum, aut à Deo per solum liberum arbitrium deficere. Subit autem statim, quando, atque eodem loco, vbi corpus egressa est.

335. Hinc & illud sequitur, non esse necesse, vt corporali specie Christus se, quando hoc iudicium exercet, exhibeat; vt plerique magis pie, quam vere existimant: quin verisimile censemus, quod cum circumscriptiue in vno tantum loco degat, non ipse per se huic semper iudicio præsideat, sed identidem Angelorũ opera vtatur: & interim ipsius authoritate fieri dicatur: quia non sua, sed Christi authoritate faciunt Angeli, quidquid hic faciunt. Sed ad propositum.

336. Hæc de temporibus. Locorum eadem quæ temporum ratio est: vt id certo possit affirmari; quod certi queat statui nihil, omniaque à diuina pendeant dispensatione: quæ vt tempora, ita loca spiritibus assignat & permittit.

337. Sanctorum interim spiritus, sæpius ijs conspecti sunt locis, vbi vel

vel preces & patrocinia ipsorum, expetita, vel corpora sepulta (a). nam & honorem sibi delatum, Deo esse gratum hac ratione demonstrant, & ibi se esse mente atque cogitatione, externis signis probant; vbi corpora, in quibus Deo militarunt, conquiescunt.

a Greg. 4. dial. cap. 21.

338. Nondum beati spiritus, beandi tamen quandoque, duobus potissimum locis cernuntur: vno, quo se hominum suffragia consequi posse, vt citius ad cælos emigrēt, confidunt: altero, vbi pœnas peccatis suis debitas contraxerunt, & ex diuina dispensatione persoluunt (b).

b Greg. 4. dialog. cap. 55.

339. Damnatorum proprius locus est infernus. Illum vel habent communem, cum Angelis apostatis in centro terræ, vel si quando apparēt, eo potissimum loco sustinent, vbi peccata, ob quę infernum meruerūt, contraxerunt. Decet profectò, vt ex eo ipso loco crescat supplicij grauitas, ex quo ab improbis olim maior sumpta est peccandi licentia.

340. Personæ quibus spiritus visi sunt, ad tria genera reuocari possunt; Iudæos, Gentes & Christianos. & Christianis quidem frequentius apparuerunt, rarius Iudæis, rarissime gentibus.

341. Qui inter Christianos, non ita quemadmodum docet Cathol. Ecclesia, sentiunt: à bonis spiritibus rarius molestantur. Hos frequentius conspiciunt, qui fidem quam à maioribus, & tota antiquitate didicerunt, profitentur.

342. Et ad amicos ferè sæpius, & notos, quam alios redeunt. quia & plures & maiores habent rationes, cur ipsis bene velint: atque plura vicissim & ampliora ab ipsis, si indigeant, sperare possunt præsidia.

343. Sed & iis molestos quandoque spiritus esse, qui cum communem adhuc vitam agerent, ipsis crudeles manus attulerunt, facilè admittimus: tum ob vindictam grauissimi sceleris: tum quod plurima huius rei exempla passim inueniantur. Confessus est Pausanias Lacedæmoniorum Rex, ad finem vsque vitæ se graues persecutiones & illusiones perpessum à spiritu virginis cuiusdam, quam proprijs manibus crudeliter confodit (c). Eandem rem egregiis exemplis, alij authores confirmant (d).

c Plutarch. in Pausa.
d Verg. 4. Aeneid. Marsil. Ficin. lib. 16. de immort. animæ. Ioan. Bodin. de dæmo li. 2. cap. 3.

344. Neque hoc quærunt spiritus, vt mulieribus, quam viris sæpius, vel libentius se exhibeant. quapropter verisimile est sæpissimæ ipsis, Dæmonis præstigiis impositum esse, quando de pluribus sibi factis reuelationibus gloriantur.

345. Rarius autem contingit, vt in numerosa multitudine appareant, sæpius vt singulos per se, vel pauciores adoriantur: tum quia tumultum fugiunt & turbas, tum quia non minus commode per paucos, quam per multos possunt, quod cupiunt, perficere.

346. Quod asserunt quidam, esse certa quædam hominum genera (illos scilicet, qui casside secum ex vtero deferunt, & qui diebus illis, quos quatuor anni tempora dicimus, in lucem sunt (e) editi), qui frequētius spiritus videant, quos etiam alij præsentes, videre non possint, inter aniles reponimus fabulas. Etenim si spiritus corpora induerunt, quid

e Ioan. Bodin. de dæm. Mag. lib. 3. cap. 1.

prohibet cur ab omnibus conſpiciantur? Si verò corporis prorſus expertes ſunt; non illorum ſolum, verum omnium omnino ſenſus refugient.

347. Non tamen negamus quibuſdam aliquando ſpiritus videri, quibuſdam minime. Vidit Vrſinus Petrum & Paulum cum animam ageret; (a) & Tarſilla Fœlicem (b); quos tamen præter ipſos, nullus conſpiciebat. Sic puer quidam quinquennis, diabolum vidit in forma Mauri, quem pater filium in finu fouens, minime conſpiciebat (c). vidit Beatus Martinus eundem in forma cruentæ beſtiæ; qui tamen aſtantium oculos fugiebat (d) & Chryſorius homo flagitioſus, non verbis ſolum, ſed & corporis habitu, & vultus pallore deterrimos viros atque nigerrimos ſpiritus, coram ſe aſsiſtere, & grauia ſupplicia intentare cõſpexit; quos nec filius eius Maximus, nec ex familia quiſquam obſeruauit (e). Verum id longe alia fit ratione, quam illi arbitrantur.

a *Greg. 4. dialog c. 11.*
b *Idē cap. 16.*
c *Greg. 4. dialog. cap. 18.*
d *Sulpit. in vita Mart.*
e *Greg. 4 dialog. cap 38.*

348. Nihil in hoc negotio accidit, ſine Angelorum ſiue bonorum, ſiue malorum opera & induſtria: qui vt in vniuerſam materiam corpoream ſunt potentiſsimi; ita in hominum ſenſus valent non parum. Quocirca vel ipſi ſenſus immutant, vt homines arbitrentur ſe cernere, quæ reuera extra ſenſus nõ ſunt: vel aciem ſenſuum in functionibus impediunt, ne ſuo officio pro viribus ſatisfacere poſsint.

CAPVT XV.

An liceat quouis modo cum quibuſcunque ſpiritibus agere, & communicare.

349. Communicatio, quæ nobis cum ſpiritibus communis eſſe poteſt, duplex eſt. altera fit verbis, altera rebus: vtraque quemadmodum modos, ita difficultates habet plures, Vtrobique quæritur, quanta, qualiſue nobis cum ipſis abſque Dei offenſa intercedere poteſt. Diſputatio verò ad totum ipſorum genus ſeſe extendit.

350. Miſcere ſermonem cum ſpiritibus, ex ſe culpa vacat; cum neque ex illorum ſit genere, quæ ideo mala ſunt, quia prohibita: neque ex illorum, quæ ideo prohibita, quia mala. Hinc eſt, quod & cũ Deo, qui pater eſt ſpirituum; & cum Angelis, tam bonis, quam malis; & cum humanis ſpiritibus quibuſcunque, mortales plerique, citra vllam ſuam culpam locuti fuerint.

351. Culpa, ſi quæ hic interuenit, vel ex modo cum ipſis agendi, accidit; vel ob rem, de qua oratio inſtituta eſt. Alius eſt modus agendi cum his, alius cum illis. Et quas res ab his citra peccati ſuſpicionem quærere licet, atque intelligere; eas, ſi ex alijs, velis cognoſcere, in creatorem fieres iniurius, & contumelioſus.

352. Ratio & natura dictat, vt ad Deum directus ſermo humilis ſit, atque reuerens, & qui obſequentis animi præſeferat ſignificationem. Cuius cum multorum aliorum, tũ præcipue Abrahami, Moyſis & Dauidis

hæ

hæ voces præbent argumenta, Loquar ad Dominum, cum sim cinis & puluis (a). Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem (b). Ego peccaui, ego malum feci (c)

a Genes. 18.
b Exod 3.
c 2. Reg. 24.

353. Sed & cum Angelis bonis ita loquendum; vt status ipsorum & conditio postulat; nempe tanquam cum Dei amicis, atque legatis, per quos diuina nobis voluntas innotescit. Et quia cootumelia legatorum in ipsos redundat, à quibus legatio est profecta: honor similiter exhibitus, in eosdem tendit: hinc est, vt absque crimine sint veteris testamenti patres, quando etiam ita cum angelis sunt locuti, quomodo si cum Deo locuti fuissent, carerent reprehensione. quoniam in angelis Deum loquentem audiebant.

354. Cum dæmonibus nulla nobis potest amica intercedere confabulatio (d); siue sermo habendus sit cum ipsis, se in externa specie exhibentibus; siue per obsessos respondentibus. Nam & capitales nostræ salutis sunt hostes; & Dei imprimis quærunt contemptum Quæ vero societas luci ad tenebras? aut quę conuentio Christi ad Belial? & quis consensus templo Dei cum Idolis (e)?

d Thom. 22. q. 90. art 2.
e 2. Corinth. 6.

355. Modus sermonem miscendi cum humanis spiritibus, vix alia ratione reprehensionem, quam is meretur, qui nobis fuit cum ipsis, adhuc communem vitam agẽtibus nisi quod status conditio quoddam πρέπον postulare videatur.

356. Ob rem de qua oratio instituta est, facilius error contingit. Et cũ Deo quidem, atque cum bonis angelis, ijs de rebus sermo habendus est, quibus illi occasionem præbent. Quod si quid aliud quærendum, certe non sit oportet procul à proposito, vel in cognoscendo non simus, importuni, nisi de propensa Dei nobis constet voluntate.

357. Hinc est quod sancti homines, quibus olim, vel Deus, vel angeli locuti; tantum aures præbuerint ad ea, quæ dicebantur (f). quod si quid aliud locuti sunt, id vel cum proposita erat re coniunctum (g); vel grati animi declarabat significationem (h); vel virium suarum ad Dei mandata exequenda infirmitatem (i); vel studium proximorum necessitatibus subueniendi (k); aut eo fine adferebatur, vt de promissionibus sibi factis fierent certiores (l).

f Genes 22.
g Genes. 18.
h Iudic. 6.
i Exod. 3.
k Genes. 18.
l Lucæ 1.

358. Ex defunctorum spiritibus tria præcipue cognosci posse videntur. Primum, quis ipsorum status & conditio; alterum, quos socios habeant pœnarum, vel gaudiorum; tertium, sit ne ea alterius seculi, in quo degunt, ratio, quam sacris literis edoctus Christianus populus profitetur. Secundum illud, curiosum est; tertium, ab imperfecta fide proficiscitur: vtrumq; reprehensibile, primum vero reprehensione vacat.

359. Nam & ipsi spiritus plerumque vitę suæ conditionem verbis, aut signis produnt: & suo muneri, ad quod perficiendum, ad viuos redeunt, non ita commode facerent satis; nisi quibus locis deputati sint, constaret.

360. Sed & Ecclesia, quando de conditione spirituum, qui se nostris

obtutibus offerunt, dubitatur; eam consuetudinem probat; qua adiurationibus quibusdam coguntur; vt se prodant, & causas suæ ad nos reditionis aperiant, & viuis molesti esse desinant.

361. Communicatio quæ per verba cum diabolis potest intercedere: vel amica est & deprecatoria; vel hostilis (vt ita dicam), & compellens. Amica suscipitur; vel vt aliquid ab ijs addiscamus, vel vt quippiam adipiscamur (a). quę addisci possunt, vel præteritum tempus respiciunt, vel futurum, vel præsens. quæ per ipsos in nostrum vsum perueniunt, vel fortunæ sunt bona, vel corporis commoda, vel scientiæ. Ob quoscunque tandem fines suscipiatur, duplici de causa reprehensionem meretur; tum quia à diabolis illa petuntur, tum quia amicè petuntur.

a *Thom* 22. q. 90. *art.* ad 2.

362. Compellens vel est diuina, id est diuinis literis permissa; vel humana malitia excogitata. illam Christus reliquit Ecclesiæ (b); hanc qui vsurpant, ab Ecclesia se separant: illa ad diabolos ex hominum corporibus expellendos, vel ne corporibus; & rebus nostris damna afferant, arcendos; hęc ob eosdem fines, ob quos amica illa, suscipitur. illa licita; hæc non illicita solum, verum etiam ferro & flamma persequenda.

b *Luc.* 10.

363. Qualis & quibus de rebus sermo cum spiritibus institui possit; ex his fere manifestum est. nunc quanta ipsorum dictis fides adhibenda sit, breuiter perstringamus. Etenim delectus in hac re habendus, vt Apostolicus ille canon (c) obseruetur. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sunt. Neque enim omnibus eadem fides abhibenda, quia neque omnium idem erga nos studium.

c 1. *Ioan.* 4.

364. Ergo, Deo quippiam asserenti, non accommodare fidem, prorsus impium est, vt qui nec vnquam fefellit, nec fallere vlla ratione potest. Est enim Deus verax: omnis autem homo mendax (d). Et non est Deus quasi homo, vt mentiatur (e).

d *Rom.* 3.
e *Num.* 23.

365. Nec de veritate, quæ ab angelis asseritur, dubitare licet, vt qui non ideo solum fallere neqneunt, quia beati sunt, verum etiam propterea, quod quandocunque in assumptis corporibus conspiciuntur, Dei mandata & voluntatem exequuntur: qui quemadmodum non per se, sic nec per vllam creaturam potest decipere.

Auguſt. lib. 1. *de ſymb. ca.* 1.

366. Dæmones vera dicere posse, & plurima, non præsentia solum, verum etiam præterita & futura certissime cognoscere, non diffitemur: in nullis tamen ipsis fidem habendam, nec ab ijsdem veritatem inquirendam ostendit B. Chrysostomus (f) ex illo, quod se confitentibus silentium imposuerit Saluator (g).

f *Chryſ. con* 2. *de Lazaro.*
g *Marci* 1.

367. Hoc vero de ijs intelligendum censemus, quæ non coacti, sed sponte asserunt diaboli. quando enim diuina virtute, & sacrorum hominum adiurationibus adiguntur, vt causas propter quas mortalibus molesti sunt, fateantur, non dubitandum, quin idem vera dicant, & fides ipsis haberi possit

368. Humani spiritus qui beati sunt, fallunt nunquã: qui in igne purgatorio adhuc satisfaciunt, vt fallant, causam habent nullam, quocirca merito

merito vtrisque fides accommodari potest. Sed in Deum, bonosque angelos redundaret, si quid falsum dicerent, cum dispensatione diuina, & angelorum opera fiat; quod in assumptis corporibus, nostris rebus intersint, nobisque loquantur.

369. Damnatis summa inest nocendi libido, & ob id studium mentiendi. sed & dæmonum, quibus nulla fides adhibenda, opera, si quando ad viuos redeunt, plerumque non parum iuuantur. Quapropter etsi vera dicere possint, atque dicant quandoq; non tamen, vt ipsis credatur, merentur.

370. Communicatio quæ in rebus consistit, vel obsequiorum est, vel actus coniugalis, quem quidam spirituum cum hominibus exercent, Obsequiorum duplex ratio est, quædam nos spiritibus; quædam ipsi spiritus vicissim nobis exhibent. & hæc vel ex imperio possunt proficisci, vel tantum ad alterius partis preces & vota. Imperare potest superior omnis; precari vero etiam inferior.

371. Hinc iam sequitur, plurimam esse oportere, & Dei & bonorum angelorum apud nos authoritatem, & summo studio, quæ pro authoritate imperant, perficienda esse. Quoniam Deus in nos, nostraque omnia potestatem habet omnem; quæ vero ab angelis præcipiuntur, à diuino imperio profecta esse nequaquam possumus dubitare.

372. Dæmonum in nos nullum est imperium. quare & nihil possunt præcipere. quod si quoddam à mortalibus in ipsos ius, quandoque extorquent, id quia præter ius omne constitutum est: vt seruetur, nullo iure effici potest. Precari possunt, sed ob superbiam recusant. si aliquando ad preces se demittant, nullum omnino aut possunt aut debent, à nobis extorquere obsequium. *Nisi doli & fraudis gratia.* ——— RB.

373. Sed nec bona consulentibus parendum est. quoniam si quę consulunt, non vt ad nos inde vlla perueniat vtilitas, intendunt. Quæcunque ab ipsis aut dicuntur, aut consuluntur, aut aguntur; ad nostram tandem perniciem spectant omnia. Nam licet bona, bene tamē agere nequeunt quicquam. RB comodissime hyperbolice

374. Hinc est quod grauissime inter cæteros delinquant (*a*), qui his spiritibus se deuouent, & nefandis atque horrendis sceleribus obstringunt. In quo genere sunt, qui Deo & religioni Christianæ nuncium coram dœmonibus remittunt, qui in Deum verbis sunt blasphemi, & rebus contumelioſi, qui cum religione & fide se ipsis obstringunt, ipsoque inuocant; qui diuinos honores tribuunt, qui prolem quam sperant ipsis promittunt, in lucem vero iam editum ijsdem consecrant, consecratam antequam baptismatis sacramento initiatur, crudeliter necant, aliaque obsequia & conscleratos ritus exercent (*b*).

a *Exo.* 20. 32. *Deut.* 13. 27. 17. *Leuit.* 24. & 21. *Num.* 25.

375. Sed & impijssimam & crudelem operam ijsdem præstant, quando ex dem ortuorum, vel interfectorum infantium corporibus excoquunt pinguedinem, qua post, in impijs rebus abutuntur, quādo pecoribus & hominibus mortis, aut nulla arte curabilium morborū sunt authores, quan-

b *Vide Ioan. Bodin. lib.* 4. *et* 5. *de dæmonomania Magorum.*

quando segetes terræ destruunt, & infinitis alijs modis, mortalibus incommodant.

376. Humani spiritus imperare pro sua authoritate possunt nihil: quoniam in nullo viuentes ipsis subiiciuntur. quod si imperio vsi leguntur, superioris id fecerunt authoritate, vel certe hac loquendi formula, facilius voluerunt, quod cupiuerunt, consequi.

377. Quando vero vel aliquid imperant, vel preces suas apud nos deponunt, nunc expedit, ipsorum votis fiat satis, vt si iniquum petant nihil, sed tale quippiam, quod vel in Dei potest redundare gloriam, vel nostram salutem promouere, vel ipsis quoque modo subsidio esse: nunc vero non expedit, vt si his contraria eorum oratio contingat, hoc accidere potest per impiorum spiritus, illud in bonis solet vsu venire.

378. Sic definitum sit de obsequio nostro ipsis spiritibus præstando. Ipsorum verò obsequio vti, perraro honestum, sæpissimè pernicioſum & omni periculo plenum.

379. Quam enim operam iure possumus exspectare ab humanis? Esto variis quandoque modis rebus nostris in assumptis corporibus subuenerint, verum non ideo illa, vt subuenirent, assumpta erant. Sed & iniquum est, sibi pro libidine in spiritus imperium assumere, aut vllum ab iis officij genus expetere.

380. Multo minus conuenit, Dei obsequium exspectemus Angelorum non reiicimus, si offerant: imperare, iudicamus arrogans: quod si præsentes rogamus, vt in re licita nobis subueniant, non censemus iustam merere reprehensionem.

381. Dæmonum promptissimum est studium ad quæcunque imperata. sed & imperium præueniunt, & suum vltro obsequium promittunt, non quod subesse affectent, sed quod rationes suæ libidini satisfaciendi, vndecunque arripiant. Nempe hominum sibi cupiunt deuincire animos, vt postquam deuinxerint, quocunque libet, possint impellere.

382. Verum nulla nos honestatis ratio, nullum quantumcunque emolumentum, nulla quantumuis vrgens necessitas potest cogere, vt vel quidquam ipsis amice imperemus, vel in quocunque negotio etiam honestissimo ipsorum opera vtamur. Quod si sanctorum quidam ipsorum opera vsi leguntur, id diuina ipsos reuelatione feciſſe docet B. Thomas (a).

a *Thom.* 22. q. 90. ar. 2.

383. Quocirca peccant grauiter qui ipsorum auxilio, consilia principum exquirunt, bella administrãt, ædificia exstruunt, literas alio transferunt, ex locis disitis res nouas procurant, & morbis quacunque arte incurabilibus medentur.

b *Supra Thesi.* 193.

c *L. Multi de Malef. & Mathe.*

384 Peccant grauius, qui Martinellos suos quos diximus (b) habent, ijsque quando libitum est vtuntur: qui (c) vt habetur L. Multi. de Malef. & Mathem. eorundem opera elementa turbant, aërem mutant, ventos

tos tempestatesque suscitant, grandines & lapides terrificos, qui frumentum & fruges deuastent, ex alto descendere faciunt.

385. Sed adhuc grauius illorum crimen, qui hominum neces & mortem per eosdem procurant, & in eos qui nondum baptizati sunt, infantes, bis homicidæ existunt, extremamq́; & æternam adferunt miseriam.

386. Præter hæc obsequia, quidã spirituum præbent & expetunt coniugales complexus, illi scilicet, qui è cœlo deiecti, nostram quærunt perniciem. horum complices multis nominibus peccare, & naturæ leges scelerate euertere, extra omnem controuersiam est.

CAPVT XVI.

Expenduntur rationes, quibus boni à malis spiritibus dignoscuntur.

VNum restat persequamur, vt scilicet quantum consequi possumus, rationes quibus cognoscatur, bonus ne sit an malus spiritus qui apparet, breuiter perstringamus. Res hæc quemadmodum suo fructu non caret, ita difficultatem habet non paruam, siue virium nostrarum imbecillitatem, siue spirituum qui apparent solertiam, siue ipsum genus apparitionum attendas.

388. Vires ingenij nostri tantæ non sunt, vt sibi in hoc negotio sufficere possint. Satan calidissimus est, & sicut in angelum lucis se transfigurat (a), sic & humanam formam induere & sanctorum potest personam simulare, atque simplicibus & incautis imponere. Bene docet B. Augustinus (b) opus dæmonum esse, quod se in hæreticos æque, vt in lucis angelos transfigurent.

a 2. Cor. 11.

b Aug. lib. 3. cõtra Vincẽ. de anima & eius origine cap. 2.

389. Sed & inter illa quæ diuinitus absque vllis nostris meritis nobis conferuntur, Apostolus refert Spirituum discretionem (c), seu vt B. Augustinus legit, diiudicationem, & pauci admodum reperti sunt, qui hac in re excelluerunt.

c 2. Cor. 11.

390. Refert Eusebius (d) Theodotum quendam aliosque Montanistas, mirabiles visiones iactasse, seque ex ipsis accepisse, mundum breui collapsurum. Vincentius Donatista, teste B. Augustino (e) hæreticum pro sancto habuit apparentem, eoque dictante, contra fidem orthodoxam, calamum stringere non dubitauit. Mahomet potuit persuadere mundo, se in cœlum raptum, accepisse per Gabrielem Archangelum, quam in Alcorano tradidit pernitiosam doctrinam. Nostris temporibus sæpissime mortalibus esse illusum, atque identidem illudi, quot probant exempla?

d Euseb. lib. 5. cap. 15.

e Augustin. contra Vincen. vbi sup.

391. Est nihilominus modus aliquis, bonos à malis distinguendi. & versissimus quidem est, qui ex diuina pendet reuelatione, quo olim Antonius Magnus, & Martinus Turonensis, homines sanctissimi excelluerunt: proximus vero huic, qui ex ipsorum spirituum operationibus, atque ijs, quæ sensibus nostris percipiuntur, argumenta suppeditat

392. Et quibus mali cognoscũtur, aliqua sunt & satis firma argumenta: Quæ bonos prodant, pauca & infirma.

393. Qui enim bonos dixerint, qui humana tantum se forma & quidem pulchra atque amabili exhibent; non attendunt, & malos se in lucis angelos transformare (a), & non humanam tantum, verum etiam sanctorum formam simulare posse (b).

a 2. Cor. 11.
b Sulpit. in vita Martini.

394. Qui ipsos ex mirabilibus distinguũt operibus; quasi maiores vel plures effectus producant boni quam mali: ignorant non minores vires esse malis (c), quam bonis.

c Thom. p. q. 109. ar. 1.

395. Errant qui putant illos esse bonos, qui bona consulunt, vel à nobis expetunt: quoniam aliud est bona consulere & expetere; aliud bene. Consulunt & expetunt bona, boni & mali; at bene, boni tantum. Certissimis historijs constat etiam diabolos suffragia viuorum expetiuisse, quasi his, tanquam purgandæ animæ, iuuari potuissent (d).

d Vide Ioan. Bodin de dæmonomania Magarum ca. 6. lib. 3.

396. Qui ex operum prauitate & malitia putant deprehendi; quasi boni sint, qui bona agunt; cum mali nihil possint facere bene in hoc quidem bene sentiunt, quod malorum operationes, peruersas esse definiant; verum tamen non tam ex operationibus spiritus; quam ex spiritibus operationes metiuntur. Sed & sæpe sint ne operationes peruersę, scire non possumus, propterea quod secundum speciem contingit esse bonas, quæ ex fine malæ sunt & detestandæ.

397. Qui ex loco certum sumunt argumentum, & bonos asserunt, qui in sacris locis conspiciuntur, non attendunt diabolum quandoque inter Dei filios astitisse (e), & in paradiso mortalibus grauissima damna attulisse (f), & Christum super pinnaculum templi constituisse (g), atq; adeo non tam refugere sacra loca, vt etiam cũ difficultate vix ab energumenis in iisdem possit expelli.

e Iob 1.
f Genes. 3.
g Matth. 4.

398. Non minor est difficultas malos cognoscendi. Qui namque illos definiuerint malos, qui grauem de mortalibus sumunt vindictam, aut certe ijs molesti sunt: hi ignorant etiam fœlices spiritus grauissima de reprobis sumpsisse supplicia, & non minus crudeles, quam nequam spiritus quandoque extitisse (h).

h Supra thes. 147.

399. Sic neq; mali censendi sunt, qui lucem fugiunt, & noctibus tantum se efferunt. quoniam & dæmonia quædam sunt meridiana (i): & Satanas transfigurat se in angelum lucis (k): & boni item spiritus non minus nocte, quam interdiu cum hominibus conuersantur.

i Psalm. 90.
k Ioan. 11.

400. Nec mali sunt, qui improbis se hominibus & sceleratis exhibent. quoniam neque qui cunq; cum bonis conuersantur, boni sunt. Et si sanctus spiritus, quandoque per impios futura prædicit, quid potest prohibere, vt ad impios quoque, bonos spiritus accessisse credamus?

401. Incerta ergo argumenta sunt, formę pulchritudo & deformitas, operum quæ efficiunt magnitudo & multitudo, sanctitas exterius simulata, vindicta de reprobis sumpta, locorum item, personarum, atq; temporum qualitas.

402. Quæ verò quandoque improbos produnt spiritus, sunt forma, operatio, oratio, causa quæ vt viuorum rebus interfint impulit, & quæ sum-

fummopere fugiunt, Christianæ religionis quædam Symbola. atq; hæc quandoque concurrunt omnia, & firmissimum præbent argumentum: quandoque ipsorum quædam sufficientem faciunt fidem.

403. Si enim forma alia, ab humana se spiritus exhibeant, merito suspecti esse possunt: tum quia bonos non nisi humana visos esse ostendimus (a); tum quia impij peregrina gaudent (b), & frequenter ad illam diuina authoritate coguntur.

a *Supræ thes.* 125.
b *Supra thes.* 160.

404. Ex operationibus duplex potest sumi argumentũ. Quoniam vel ex ipso operationum genere, vel earundem modo improbi deprehenduntur. In genere malitia, in modo animorum motus & perturbatio spectari debet.

405. Genus operationum, si ex se detestandum sit, nullo medo in bonos potest cadere spiritus, vt quorum ea conditio est, vt peccare possint nequaquam (c). Quocirca qui concubitus experunt vel præbent, qui in Deum sunt blasphemi, qui sacris rebus scelerate abutuntur, aliaque his similia perpetrant, inter impios censendi sunt.

c *Thomas* 1. p. q. 59. art. 2.

406. Modus agendi malorum, plerumque primo suo congressu amicus est, post vero turbatum relinquit animum. id magno suo & nostro malo didicit prima omnium mater Eua (d): At boni licet primum non nihil turbent, quandoque etiam horrores incutiant (e), tandem tamen mira voluptate, aut certe egregia quiete perfundunt (f).

d *Genes.* 3.
e *Daniel* 10.
f *Lucæ* 1. *Daniel* 10.

407. Oratio dupliciter malos prodit, si vel iniqua sit, vel superbi & arrogantis aut certe turbati, & vehemẽtis animi ostentatio. Iniqua est, si aut falsa contineat, aut malè persuadeat. Nihil horum potest in bonorum spirituum oratione deprehendi (g). relinquitur ergo, vt à nequam spiritibus, si quæ talis affertur, proficiscatur.

g *Supra thes.* 365.

408. Sed & ex causa quæ, vt rebus humanis interfint, cogit, deprehenduntur. Quicunq; enim ab hominibus sibi allatam vim simulant, quasi coacti ad nos redeant, dubium non est, quin inter malos spiritus sunt numerandi. Quocirca qui à Necromanticis ad viuos quibuscunque tandem verbis vel signis reuocantur, merito suspecti omnibus esse debent.

409. Siquidem Angelos bonos his artibus reuocari nullus dixerit: at animas sic cogi vt reuertantur, vix potest credi. Beatorum non possunt, partim quod in illos diabolus non habeat potestatem, partim quod à fœlicitate, quam semel consecuti sunt, hac ratione deficerent. Purgandæ, fœlices quidem non sunt, sed tamen nec dæmonum potestati subiectæ, cum ad ciuitatem pertineant Dei. in damnatas possunt multa, sed tamen non tantum quantum volunt. Quemadmodum vero illas pro sua voluntate non possunt punire, sed Dei requirunt sententiam: ita neque ad viuos reuocare, nisi Deo permittente queunt.

410. Quocirca nihil fecit ars magica, nec pythonissæ studium, quãdo Samuel ad viuos redijt, sed nec à dæmone persuasus, passus est se induci, vt redire voluerit, verum quemadmodũ Balaam consulenti dęmonem,

a *Num.22.* non dæmon, sed Deus responsa dedit (a), ita ad pythonissæ vocem, non Samuel apparuit, sed ipsa vocante, Deus voluit, rediret.

411. Symbola Christianæ religionis, quæ detestantur impij spiritus quæque ipsos persæpe produnt, præcipua sunt quatuor. Signum videlicet S. Crucis, diuini nominis inuocatio, sanctorum reliquiæ, & res Dei verbo consecratæ, in quarum numero sunt aqua lustralis, agnus Dei, quem dicimus, panis, sal, &c.

b *Athanas. de huma. verbi et corporali eius aduentu.* 412. Signo crucis, inquit Athanasius (b) omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, vniuersa idola deseruntur. Et rursus Solo signo Crucis homo vtens, dolos à se dæmonum propellit. Præsente Christiano, qui frontem cruce signatam gerebat, diabolum testatum esse, se oracula Imperatori poscenti reddere non posse docet Lactantius (c). Iulianum Imperatorem quamuis deserta & prodita Christiana religione, solo signo crucis dæmones fugasse, cum in magno tremore esset, ne ab ipsis discerperetur, tradit Gregorius Nazianzenus (d). Hilarion quadam nocte (verba sunt Hieronymi) cæpit infantium audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi mulierculorum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portêta vocum, vt ante sonitu, quam aspectu caderet. Intellexit hæc esse dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi crucem signabat in fronte, taliq; armatus casside, & lorica fidei circundatus, iacens fortius prælia batur (e).

c *Lact. lib. 4. diuin. Instit. cap. 27.*

d *Greg. Naz. Oratione 2. in Iulian.*

e *Hieron. in vita Hilarion.*

413. Longum dst omnes persequi, qui dæmones è eorum ludibria hoc armorum genere profligarunt: quales sunt inter alios Gregorius Neocæsarienſis (f), Antonius (g), Iosephus confessor (h), Marcellus Apameensis (i), Macarius, & Martinus (k), Indæus etiã nondum renatus (l). Vt non immerito B. Chrysostomus crucem contra dæmones trophæum appellarit (m), Sophronius verò Hierosolymorum Episcopus, vniuersorum ex aduerso occursantium insultuum, potissimam profligatricem dixerit (n).

f *Greg. Nyss. in vita eius.*

g *Athan. in vita eius et Hier. in vita Pauli.*

h *Epipha. lib. 1 hæres. 30.*

i *Theod. lib. 5. cap. 21.*

k *Pallagius in vita ipsorum.*

l *Greg. 3. dialog. cap. 7.*

m *Chrys. in Psa nupereditos.*

n *Sophro in homil. de adorando Cruce.*

414. Quocirca impudenter asserunt Magdeburgenses (o) vsum signandi cruce, nouum esse: & à simplicibus tantum asseri, magnã vim in eiusmodi signatione sitam. Impudentior verò est Brentius; quando negat diabolum signo crucis fugari, sed docet fugam tantum simulare ad superstitionem (p) (vt ipse impiè loquitur) & magiam confirmandam.

o *Centur. 4. cap 6.*

p *Alamus dia dialog lib. 4. cap. 3*

415. Quod si simplices illi sunt, quos iam recensuimus, grauissimi authores, quos tandem in hoc negotio testes produci volunt? Si vero Diaboli fraus fuit fugere crucem, & hac signatione nulla ipsi adfertur vis, quî fit, vt grauissimi morbi sint crucis signo depulsi? vt præsentissima pericula propulsata? vt res hominum opinione maiores effectæ?

q *Augusti. de ciuit. dei cap. 8 lib. 22.*

416. Refert Augustin. (q) tanquam rem sibi notissimam, fœminam quandam, quam medici pro deplorata habebant, solo signo crucis dininitus à cancro liberatam. Testatur Sulpitius B. Martinum (r), Theodoretus Aphraatem & Macedonium (s), Palladius Isidorum & Beniamin, atq;

r *Sulpit. in vita B. Martini.*

s *Theodo. in Philoteo.*

vtrum-

vtrumque Macarium (a), hoc desperatos morbos ab hominibus repulisse. B. Chrysostomus in via quam horrendus leo magna cum hominum strage, frequentabat, Crucem poni iussit, & postridie ad eam leo mortuus est repertus (b). Ad crucem à Gregorio Turonensi (c) & item à Paulino (d) prolatam, ignis qui prius in omnia sæuiebat, statim se remisit. Hilarion immanem æstuantis maris tempestatem, crucis signo compescuit (e). Donatus Episcopus horrendum draconem interfecit (f). Iulianus Bostrienſis Episcopus, calicem ter signans digito, venenum sine noxa bibit (g).

417. Iam ante diximus (h) dæmones ad sepulcra martyrum rugire, vilissimo puluere torqueri, ab hominibus expelli. Babilæ corpus Daphnem per Gallum Imperatorem translatum, dæmoni statim imposuit silentium, qui tamen miris modis, solebat homines, redditis oraculis, ludificare. (i)

418. Est enim ea factorum potestas (inquit Chrysostomus) (k) vt illorum superstitum nevmbras quidã & vestes ferre possint dæmones, vita autem sanctorum, & loculos quoque reformident. & alici. (l) Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè, dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum, tamen item agnitis Regis insignibus deterrentur, vt fugiant, neque cominus accedere, vel attingere audeant; ita profectò & dæmones, qui vere latronum & principes, & magistri sunt; vbi coronatorum martyrum viderint corpora posita, longe ilico à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt.

419 Huc facit quod B. Augustinus (m) recitat terram sanctam à locis sanctis Hierosolymorum in Africam allatam, in domo Hesperij cuiusdam aduersus dæmonum terrores collocatam fuisse, & reliquiarum loco habitam: atque insuper suo aliorumque Episcoporum consensu vbi reposita erat, locum orationis constitutum, & paralyticum ibidem sanatum.

420. Sed neque inuocationem nominis Christi ferunt maligni spiritus. Veniat, inquit Athanasius (n) qui istorum dictorum experimentum capere veli, t (videlicet, solo signo Crucis dæmones fugari) & in ipsis præstigijs dæmonum, & impostoris vaticiniorum, & in miraculis Magiæ, vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenq; Christi inuocet; & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticina conquiescant, Magiæ & veneficia iaceant. Cernit rhedam Hilarion feruentibus rotis super se ruere (loquitur B. Hieronymus), cumque inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino hiatu omnis pompa absorpta est (o).

421 Quid, quod non diuinum solum, non sustinent nomen; verum etiam res ad diuini nominis inuocationem consecratas horreant? Certe per aquam lustralem refert Epiphanius (p) dæmoniacum quendam liberatum. Oratio ex Clemente Romano (q) quę in aquæ huius consecratione

a *Pallad. in vita ipsorum.*
b *Greg patriarcha Alexã. in vita eius.*
c *In vita eius per Clericos script.*
d *In vita Felicis Natali.*
e *Hieronym. in eius vita.*
f *Sozomenus. lib. 7. c. 25.*
g *Sophro. in prato Sp. c. 49.*
h *Supra thesi 199.*
i *Ruff. lib. 1 c. 35. Socrat. lib. 3. c. 18. Sozõ. lib 3. cap. 18. Theod. lib. 3. c. 10. Metap. in vita Babilæ.*
k *Chrys. in vita Babilæ.*
l *Chrys. hom. 7. de Natuit.*
m *Aug. de Ciuit. lib. 22. cap. 3.*
n *Athanas. de humanit. verbi & corporali eius præsenti a.*
o *Hieron. in vita Hilar. vide Alex. lib. 4 genial. dier. cap. 19.*
p *Epipha. lib. 1. Hæres. 30.*
q *Clemens lib 8. Instit. Apost. c. 35.*

tione adhiberi solet, sic habet. Domine Sabaoth, Deus virtutũ, creator aquarum & olej, misericors & benigne, qui dedisti aquam ad potum, & mundiciem; oleum ad exhilarandam faciem in exultatione lætitiæ; ipse quoq; nũc sanctifica hanc aquam & hoc oleum, in nomine eorum qui attulerunt: & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibusque insidijs aduersariam, per Christum, qui est spes nostra, quo cum tibi gloria, honor, & cultus, cum sancto spiritu, Amen.

422. Quocirca quicquid vel de aquæ benedictæ asperſione, vel de incensionibus luminarium sacrificatorum, vel suffimentis herbarum consecratarũ, vel alijs Ecclesiæ catholicæ ritibus, garriunt hæretici, nihil nos moratur. Credimus, & cum veneranda antiquitate profitemur non vanum, non superstitiosum, sed pium esse istorum omnium vsum, & diabolis intolerabilem; præsertim quando inanis non potest esse Ecclesiæ precatio, quæ ad has creaturas accedit.

423. Hæc igitur sunt, quæ impios spiritus frequentissimi produnt. At non statim boni censendi, si hæc, in ijs qui apparẽt, desunt, aut etiam cõtraria his conspiciantur: quoniam & sancti personam induere possunt nequam spiritus; & opus externa specie excellens atque pium præstare; & orationem effingere iustam atque humilem; & vltro se nostris sensibus offerre; & sacrorum symbolorum vsum sustinere.

442. Difficile tamen est, contraria omnia in nequam spiritu reperire: quoniam etsi simulare possit reliqua, non tamen potest, aut profectò diu non potest, quin superbum prodat animum. Ex omnibus igitur his, aliquot argumentum sumi potest, vt bonum credamus spiritum qui apparet, ex singulorum defectu nequam iudicamus.

CAPVT XVII.

Expenduntur rationes, quibus boni inter se spiritus distinguuntur.

425. OStendimus quomodo mali spiritus à bonis distinguuntur; at quoniam tam bonorum quam malorum ordines sunt varij; restat quibus inditijs & argumentis cognosci possit, in quo genere bonorum sint vel malorum, qui ad nos redeũt, inquiramus.

426. Et quidem hos ab inuicem discernere posse, pulchrum est; verũtamen non ita, vt prius illud, necessarium. Neque enim multum potest nobis incommodare, si ignoremus: neque magnam vtilitatem afferre, si cognoscamus: si quidem mali omnes suspecti debent esse, cum bene nobis, aut non possint, aut non velint: boni verò aulla ratione sunt timendi, quia prodesse cupiunt omnes, obesse vero, aut non possunt, aut non volunt.

427. Interim tamen tanto res habet plus difficultatis, quanto minus vtilitatis, præsertim quando societas & conuictus spirituum efficit, vt quasi idem velint, possint, & agant bonorum hominum spiritus quod

ange-

angeli, & malorum sit idem quasi studium, quod dæmonum. Certe B. Augustinus (a) mauult in hoc negotio ignorantiam fateri, & discipulum se præstare, quam temere aliquid definire, & præceptorem agere.

a *Aug. de iura pro mor ca. 16.*

428. Sed tamen res talis non est; vt vel vanum sit, vel superstitiosum, in illa percipienda mentem occupare. Probandos enim vult spiritus scriptura: ipsi se quandoque produnt: & sunt quibus datur discretio spirituum, quemadmodum alijs gratia curationum, alijs operationes virtutnm, alijs genera linguarum, alijs interpretatio sermonum.

429. Sed neq; tanta est res, vt vires humani ingenij excedat. Non enim quæ difficilia intellectu sunt, illa stat impossibilia censenda, verum in ijs percipiendis plus operæ & laboris ponendum. Et manam adfert voluptatem, etiam pauca de rebus difficilibus intelligere.

430. Age igitur á bonis initium sumamus, & primum discutiamus quibus argumentis deprehendi possit, humanus ne sit spiritus qui apparet, an an angelicus. Quod quæritur non id est, vtrum ex angelis aliquis semper adsit, quando sub humana forma spiritus cernitur: nec quæritur, vnde deprehendi possit an ἀυτοπροσώπως adsit spiriritus humanus. Quæritur vnde possit cognosci; quod spiritus, qui apparet (qualiscunque tandem sit) vel hominis, vel Angeli personam referat, ipsusque vel humanus vel Angelicus dicatur.

431. Primum illud ad propositum negotium facit nihil, plurimam enim in omnibus omnino apparitionibus, Angelorum diximus esse operam; quin vero nullam esse iudicamus, quæ ipsorum ministerio nõ initium sumat; nullam (præter vnam forte) quæ carere possit toto qno perdurat tempore.

432. Secundum ad propositum multum facit. quia necesse est humani spiritus sit apparitio, si in corpore, quod se sensibus offert, ipse sit ἀυτοπροσώπως, veruntamen hoc non necessarium. potest angelus, quemadmodum Dei, ita & hominum, tam purgandorum, quam beatorum spiritus repræsentare & exhibere.

433. Deprehendi vero hi spiritus, & discerni non possunt ex corporum, in quibus apparent forma; quoniam vna humana vtrisq; Angelicis videlicet & humanis spiritibus communis est.

434. Deprehendi non possunt, ex formę venustate, & splendore, quasi angelici habeant augustiorem, qualem B. Augustinus (b) tribuit Gabrieli: hominum vero spiritus hac inferiorem; quoniam & angelis homines cõferendos esse testatur veritas (c): & fulgebunt iusti veluti sol (d): & grauissimis historijs potest demonstrari, etiam humanorum spirituum splendorem, vultusq; maiestatem, intuentium oculos perstrinxisse.

b *Aug. serm. 15. de Natiuit. Christi.*
c *Matth. 22.*
d *Matth. 13.*

435. Sed nec vindicta de quibusdam hominibus per bonos spiritus sumpta, angelos apparuisse, sufficiens argumentum est; quoniam sicuti per angelos, ita & beatos hominum spiritus, in reprobos grauissimè animaduersum esse, superius demonstratum est (e).

e *Thes. 196.*

Dupli-

436. Duplicibus tamen argumentis innoteſcunt: quorum quędam neceſſaria ſunt, & certam faciunt fidem; quædam probabilem opinionem. Certam fidem faciunt, diuinitus facta reuelatio; & ipſorum qui apparent, ſpirituum confeſsio: probabilem vero opinionem, nunc exterior forma, nunc oratio.

437. Diiudicationem ſpirituum diximus eſſe Dei donum. cui igitur hoc collatum eſt, id eſt, qui Deo reuelante conditionem ſpiritus agnoſcit; nō poteſt, niſi in Deum velit eſſe iniurius, dubium habere animum ſed neceſſarium credat, quod ſibi diuinitus eſt reuelatum.

438. Sic non eſt quod quicquam dubitemus de ipſorū ſpirituum confeſsione. Quicunque enim viuorum rebus interſunt; ſiue noſtram cauſam agant, ſiue rebus ſuis conſulant, Deo ſic permittente, ad nos redeunt: quo fit vt quos ſe confitentur, eo loco ipſos habere abſque vlla hæſitatione poſsimus.

439. Exterior forma tribus modis diſtinguit & prodit humanos. ſi enim ſe barbatos exhibeant; ſi in ſexu fœmineo; ſi habitu corporis triſtiori; non inter angelicos, ſed humanos ſpiritus referrendi ſunt. Conuenit angelis florens ætas, vt diximus(a): nō mentiuntur ſextum fœmineum; quia viriles habent animos: nec triſtior ipſorum poteſt eſſe aſpectus, quia gaudium & exultationem ex perpetua Dei viſione obtinent.

a *Supra theſ.* 126.

440. In oratione ſpirituum interdum ea eſt obſeruare, quę in angelos poſſunt tantum conuenire; interdum quæ in ſolos humanos ſpiritus. Subſidij poſtulatio non poteſt vlla ratione angelis aſcribi: remota vero ab humana cognitione indicare, difficulter poſſunt ſpiritus hominum. Igitur qui opem implorant, & noſtra ſubſidia expetunt; humani ſunt: qui futura prædicunt, & illa, ad quæ animarum ſeparatarum cognitio pertingere non poteſt, angelici.

441. Atque hę rationes, vel humanos vel angelicos produnt ſpiritus: Verum non eædem omnes, humanos inter ſe diſtinguunt, quemadmodum neque angelorum apparitiones à diuinis. In vtriſque præter vnam reuelationem, atq; ipſorum propriam confeſsionem, vix inueniri poteſt quippiam, quod nos in ipſorum notitiam inducere poſsit.

442. Qui enim ita diſtinxerint bonos hominum ſpiritus, quaſi beati ſint, qui in aſſumptis corporibus faciunt miracula, & rebus noſtris præter naturę ordinem ſubueniunt, ignorant etiam per eos, qui adhuc purgantur, Deum olim mirabilia eſſe operatum, & non minora quàm per beatos perfeciſſe.

443. Sic, qui diuinas apparitiones ab angelicis diſtingunt, vt Dei dicant eſſe illas, in quibus ſpiritus propria virtute ea perficiunt, quæ à ſolo poſſunt proficiſci Deo, ignorant etiam ab Angelis hæc in aſſumptis corporibus eſſe peracta: & ab hominibus nequaquam percipi poſſe, vnde illa ſpiritibus adſit virtus, qua res admiratione dignas perpetrant.

444. Interim tamen produnt quandoq; humanorum ſpirituum conditionem, ipſorum quas apud nos deponunt preces. Qui enim noſtram opem

opem implorant, nõdum in beatorum sunt numero constituti, quibus conuenit, vt beneficia conferant, nulla vero exspectent.

445. Et Christum quandoque prodit, atq; ab angelis separat exterior forma, & habitus; ad quem attendisse videntur illi, quibus se olim exhibuit, quando sine vlla cunctatione, diuinum ipsi honorem exhibuerunt. Dominus Iesus, (inquit B. Martinus) non se purpuratum aut diademate coronatum exhibet &c. (a)

a *Sulpit. in vita Martini.*

CAPVT XVIII.

Inuestigantur rationes, quæ malos inter se spiritus distinguũt, & produnt.

MAlos à malis spiritibus, damnatorum, inquam hominum, à dæmonibus distinguere, res quibusdam est impossibilis, & humanas vires excedens; quibusdam admodum difficilis. 446.

447. Qui cum Tertulliano (b) impiorum animas, postquam corpora in quibus inclusæ fuerunt, deposuerunt; in dæmones verti asserunt, necessario debent concedere, omnia defunctorum spiritus posse, quæcunque possunt dæmones, & ob id nihil esse reliquum, quo quis hos ab illis possit discernere. b *Sulp. thes.* 30.

448. Qui cum origine (c) eandem voluut esse rationem & naturam humanorum spirituum & prorsus incorporearum mentium, nisi quod illi ob demerita ad corpora damnentur, idem oportet cum prioribus confiteantur: nisi aliud esse dicas, in dæmones transformari, aliud eandem cum ipsis naturam habere, conditionemq; subire. c *Orig. in Pas* 65. &c.

449. Sed neque eadem est animarum & cœlestium spirituum conditio, quia studia vtrorumque sunt diuersa, neque illæ in hos possunt cõuerti, quia virtute nulla nisi diuina fieri potest, vt desinere esse queant.

450. Quod si studia damnatorum hominum proxime ad conatus diabolorum accedunt, non ob id necesse est, ipsorum naturam induant: quoniam à peruersa proficiscitur voluntate, & male faciendi obstinato animo, vt maiora tentent, quam vires ipsorum patiantur.

451. Non igitur his duabus rationibus, sublata est omnis causa has apparitiones distinguendi. difficultas interim manet summa: Quoniam præterquam quod damnatorum spiritus, rarissime viuorũ rebus ἀυτοπροσώπως intersint: etiam quicquid in his malorum apparitionibus fit, totum propemodum diabolorũ opera perficitur, & quæcunq; alios spiritus abinuicem distinguunt, vix hic locum habent vllum.

452. Neque enim ipsorum nobis fidem potest facere libera confessio, qua se hos, vel illos profitentur: quia mendaces sunt, & fallunt libenter, nec oratio, qua futura prædicunt, quia de dictorum veritate possumus semper dubitare. neque exterior hominis forma & species; quia vtrisq; illa communis est. neque operatio, quia tentant vtrique summa, licet non summa possint æquè.

453. Qui dixerint hominum esse spiritus, quidem malis commissis dolent; quasi id dæmonibus non conueniat; ignorant damnatos non de

malis commissis, sed ob pœnarum acerbitatem, quas grauissimas sustinent, dolere(a).

a Thom. Sup. q. 98. art. 28.

454. Sic neq; necesse est, vt diabolos credamus, qui mortalibus molesti sunt, atque tumultus siue nocturnos, siue diurnos excitant: quoniam etsi hæc aut à dæmonibus fiant, aut certe sine opera dæmonum fieri nequeant; ab impiorum tamen etiam spiritibus eadem identidem perpetrari; libenter concedimus.

455. Ex reuelatione igitur Dei pendere videtur, vt malos quis inter se distinguere possit. Sed & confessio illorum, quandoque potest facere fidem; quando nimirum non libera est, sed vi diuinorum verborum atque exorcismis extorta. Per hanc enim, quemadmodum, quod nolunt, ex humanis coguntur cedere corporibus: ita & conditiones suas aperire compelluntur.

456. Prodit præterea quandoque forma dæmones; prodit humanos spiritus aliquando, quæ de ipsis sumi cernuntur, supplicia. Quoniam enim humani vnam habent, ni fallimur, semper humanam; alij vero & illam, & quamcunque aliam, sit, vt si quando non humana, sed peregrina brutorum animantium forma se spiritus mali exhibeant, dæmonũ loco, non humanarum animarum sint habendi.

457. Sic ex genere suppliciorum agniti sunt Anconitanus quidam Episcopus, Theodoretus Arrianorum Episcopus; atque illi omnes, qui à dæmonibus, hinc inde raptari, cruciari, & grauia sustinere supplicia visi sunt.(b).

b Thess. 217.

APPEN.

APPENDIX
IN LIBRVM DE SPIRITVVM APparitionibus, in qua de eorundem Imaginibus agitur.

QVoniam Spiritus non in peregrinâ solum corporibus, verum etiam in imaginibus exhibentur; non putauimus à propositâ disputatione esse alienum, si de his quoque pauca subiungeremus, & quid imagines cum apparitionibus commune habeant, in quóue discrepent, explicaremus, singulorumq; rationes assignaremus. Sumpserunt quidem illæ ex apparitionibus initiũ; attamen non quæcunq; in imaginibus exhibentur, in apparentibus spiritibus obseruata fuerũt; licet interim iustis de causis, illorum plurima probentur. In hoc autem negotio, non totum spirituum genus persecuti sumus, sed illud tantum, quod prorsus spirituale est, Dei scilicet & Angelorum. Humanorum enim aut imagines certæ non sunt; aut potius ipsorum hominum, quam apparentium spirituum dicendæ sunt. Sic de cultu qui Dei imaginibus exhibetur, pauca adiecimus, de illo vero, qui Angelorum, nihil: tum quod hic non tantam difficultatem, quantam ille habere videatur; tum quod ex Dei imaginum cultu, de horum quiuis facile iudicare possit.

CAPVT I.

De sacris Dei imaginibus, quibus apparitiones occasionem dederunt; deque ipsarum multiplici vsu.

EX Dei apparitionibus & manifestationibus, quædam imagines apud Christianos in vsu esse cœperunt. Quod enim scriptura fecit verbis, hoc artifex effinxit signis: Nec peccatum putabatur incurre penicillus, vbi sine crimine fuit calamus. licita censebatur imago, vbi probabatur litera. 1.

2. Illæ vero numero tres sunt. Vna Dei Patris est, altera Spiritus sancti, tertia superbenedictæ Trinitatis. Nam Filij personã quæ repræsentant, non ex similibus apparitionibus profectæ sunt, sed habitus, quo vt homo inuentus est, per omnia nobis, præterquam in peccato (a) simi- a Hebr. 4.
lis, ipsis occasionem certissimam præbuit.

3. Pater vno eodemque modo figuratur, vt speciem senis & dierum antiqui referat. Spiritus sanctus vna similiter columbæ forma exhibetur. Trinitatis alia atque alia imago reperitur.

4. Communior est illa, qua vna cum Patre & specie columbæ pingi-

tur Filius, eo quo nobiscum in terris conuersatus est modo. Altera qua tres viri ita figurantur; vt nullus alio aut forma, aut ætate videatur maior. Tertia qua vnus quasi homo cum triplici vultu aut capite exhibetur. Quartæ cuiusdam mentionem facit Ioannes Gerson(a), qua ita in Virginis vtero formata perhibetur, vt tota carnem humanam assumpsisse videatur.

a *Gerson. in serm. habito Parisiis in Natiuit. domini. Tomo. 4. fol. 47.*

5. Ex his duæ à grauissimis viris improbatæ sunt (b): Duæ vero pium vsum habere possunt. Reijcitur quarta, quod grauis erroris occasio sit, & quasi tota Trinitas carnem assumpserit, videatur demonstrate. Reprobatur tertia, quod Trinitatem nescio quale mõstrum oculis nostris objiciat: vtraque parum habet decoris; parum, vel nihil Christianam pietatem promouet.

b *Latomus de cultu imagin. Ioan. Hessels in decalogo. c. 66. Anto. p 3. t. 8. c. 4. 11.*

6. Secundæ illi occasionem dedit visio Abrahamo exhibita (c). de qua sic B. Augustinus (d): Cum (inquit) tres viri visi sint, nec quisquã in ijs vel formu, vel ætate, vel potestate, cæteris maior dictus sit: cur nõ hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam. visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis vnam eandemque substantiam?

c *Genes. 18.*
d *Aug. l. 2. de Trinit. c. 11.*

7. Primam vero, & Ecclesiæ authoritas, & patrum consensus, atq; ipsa approbat sacra scriptura: quæ Patrem proponit tanquam antiquum dierum (e); Spiritus sancti præsentiam in specie columbæ demonstrat (f); Filium deniq; humanam naturam ex virgine assumpsisse varijs rationibus confirmat.

e *Daniel. 7.*
f *Matth. 3.*

8. Commendat has imagines, in primis veneranda antiquitas. Habuit Nolensis Ecclesia ante annos mille & amplius sanctæ Trinitatis imaginem, cum adscriptis à S. Paulino his versibus (g):

g *Paulinus Epist. 12.*

Pleno chorusĉat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno, vox patris cœlo tonat.
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.

Sic columbas aureas & argenteas in forma Spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas fuisse asserit; & iuste defendit contra Seuerum hæresiarcham Synodus Constantinopolitana (h). In columba Eucharistiam asseruauit Basilius Magnus (i). Meminit eiusdem picturæ semel atque iterum S. Paulinus.

h *Synod. cõst. Tomo. 3 fol. 736.*
i *Amphiloch. in vita Basilij. Paulinus in armimb. duodecima Epist.*

9. Quod si antiquissimus vsus est Agni, digito præcursoris demonstrati; atque ipsum Tharasius in confessione fidei suæ (k), inter alia recte decreta recipit: Si Constantinus, illo antiquior (l), in labio fontis, vbi baptizatus est, eandem imaginem maximis sumptibus constituit: quid est, quod vel de Patris, vel de Spiritus sancti, vel de totius Trinitatis imaginibus dubitare possimus?

k *Synod. 7. act. 3.*
l *Teste Damasc. in Sylvestro.*

10. Si quod scriptura fingit verbis; hoc artifex potest signis: quid prohibet, aut omnibus temporibus fuisse Dei imagines; aut certe omnibus esse potuisse?

11. Esto

11. Esto quandoq; prohibitæ, & populo Iudaico interdictæ fuerint Dei imagines(a)sed tamen non ob id interdictæ fuerunt,quia de genere earum essent rerum,quæ per se malæ sunt,sed quod periculum esset, ne ipsas pro dijs coleret, néue incõmutabile nomen lignis tribueret & lapidibus(b). Sed nec vnquam tam necessarius imaginum vsus fuit, quin ob certas causas interdici potuerit.

12. Reperiuntur vero homines,qui prorsus ipsas è medio sublatas volunt.Et alij quidem propterea,quod imagines sint;alij quod spirituum sint imagines,quos certa forma affingere,nihil sit aliud; quam grauissimo errori occasionem præbere.Priores vniuersis imaginibus bellum indicunt:Posteriores has Dei,de quibus sermo est,tollunt.

13. Priores illos,iam veneranda antiquitas (c); veteris nouiq; testamenti exempla(d),grauissimorũ conciliorum authoritas(e), patrum omnium sensus atq; consensus(f),mirabilia quæ per imagines olim Deus,nostrisq; temporibus exhibuit(g);condemnant.Posterioribus illud breuiter sit dictum, non minus rudiores posse in errorem induci, sacrarum scripturarum authoritate,quæ Deo membra tribuit:quam simulachris & imaginibus,quæ quod scripturæ auribus inferunt, oculis obijciunt.

14. Non quod est Deus,imago docet:sed quibus se figuris spectandũ proponit,demõstrat. Nec imago naturam,sed personam,quę oculis sese & sensibus offert,effingit. Neq; enim cum imaginem hominis videmus,dicimus nos animal ratione præditum,sed hominem videre.Inuisibilis Dei natura per imaginem exprimi nullo modo potest.Non debemus(inquit Apostolus)ęstimare auro,aut argento,aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis diuinũ esse simile(h). Cui enim similem faciemus Deum?aut quam imaginem ponemus ei?(i)

15. Quocirca,oportet hic locum habeat,quod grauissime definit Synodus Tridentina(k). Quod si aliquando(inquit)historias & narrationes sacræ scripturæ,cum indoctæ plebi expediet,exprimi & figurari contigerit:doceatur populus,non propterea diuinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici,vel coloribus & figuris exprimi possit. Miserabilis(inquit August.)animæ nostræ seruitus est; signa pro rebus accipere,& super creaturam corpoream,oculum mentis ad hauriendum ęternum lumen leuare non posse(l).

16. Nulla igitur iniuria fit Deo,quando eius imago figuratur. Nihil incommodatur rudi populo:quia instruendus est,vt rudis esse desinat. Addo cum Gregorio(m) quod abs re non facimus;si per visibilia inuisibilia demonstramus:quia & Apostolus,ex ijs quæ sensibus nostris obuia sunt; docet mentem potuisse ad diuinitatem cognoscendam assurgere(n).

a Exod.20.
b Sapient 14.
c Gen.1. Dam. lib. 4 de fide orthod. cap.17 Concil. Nice. 2.act. &c.
d Num 21. Iosue 22. Gal.3. Exo. 52. &c.
e Cons. Antioch. Nice 2. 6. Constantin. cã 82. & 72. 8. Constan. ca. 3 & 7. &c.
f Tertul. lib. 2. cont. Marc. Diony. de cœlesti Hie. cap. 15. Euseb. lib. 7. hist. c. 14. Basil. in oratione in S. Barlaam Chrys. oration. in S. Meletium. Aug. lib. 1. de consensu Euã. cap.10 &c. Greg. lib. 6. Epist. 53. Damasc. lib. 4. fi. de ortho. c. 16. & 17. &c.
g Damasc. li. 4. Eccle. hist. cap. 26. Nice. 2 act. 5. &c. Simeon Metaph. in vita D. Luc. & Theod. in col. lib. 1. Niceph. lib. 2. cap. 34 &c.
h Actuum 17.
i Isaiæ 40.

k Trident. sess. 25. l August. de Doct. Christ. lib. 3. cap. 5. m Greg. lib. 7. Epist. 53. n Rom. 1.

17. Quod si mysterium Trinitatis, vniuerso populo Christiano credendum in Symbolo proponitur: certe quo manifestius illæ propheticæ visiones, per quas Trinitatis personas sacræ literæ insinuant; oculis rudium, per conuenientes picturas exhibentur; eo magis in eo diuino proposito satis fieri posse videtur.

18. Neque enim populus per conciones tantum instruendus est, sed etiam per imagines iuuandus, & perfectius hærent, quæ subiecta sunt oculis; quã quæ dimissa per aures: Et pulchre docet B. Gregorius (a), eos qui literas ignorant, in parietibus videndo legere, dum picturas intuentur; quæ in codicibus legere non valuerunt.

a Greg. lib 7. Epistol. 109. Nicen. 2. Greg Nyss. oratione in Theodo. martyr.

19. Valet igitur ante omnia hic imaginum vsus ad Dei Trinitatisque qualemcunque cognitionem populo Christiano insinuandam, & diuinam illam maiestatem, quantum per humanas vires licet, quomodocunq; obumbrandam. Sed & docti, hoc imaginum Dei, atque Trinitatis vsu, ea quæ vel didicerunt, vel legerunt, in mentem reuocant; memoriamque confirmant: quemadmodum sacrorum bibliorum historiam facilime discet, qui identidem insignium virorum gesta in tabulis depicta intuebitur (b).

b Damas. lib. 4. cap. 17. August. lib. 22. cont. Faustum cap. 73.

20. Quid, quod eædem imagines, & beneficiorum, & humanitatis Dei nos commonefaciunt? quando nunc ipsum cum Adam atque Noë familiarissime conuersantem (c); & generis propagationem, numerosamque prolem promittentem, nunc dona sua in Apostolos profundentem pictura obijcit (d).

c Genes. 7. d Actum 1.

21. At nec instruunt solum, nec solum memoriam iuuant, beneficiaq; collata ad mentem reuocãt: verum etiam amorem nostrum erga Deum imperant, & quasi extorquent. quia non in ipsa pictura hæret animus, sed pictura animum ad eum quem repræsentat, deducit (e). Certe à fletu sibi non temperabat Gregorius Nissenus (f) quando picturam Abrahæ, filium Isaac immolantis conspiciebat. Et B. Chrysostomus ex cera fusilem picturam, pietate plenam amauit plurimum (g).

e Grego. lib. 7 Epist. 53. f Actio. 4. in 7. Synod. g Chryso. in oratione quod veteris & noui test. vnus sit legislat.

CAPVT II.

De duplici cultu, qui Dei imaginibus à Catholicis exhibetur.

22. Hic vsus imaginum Dei atq; Trinitatis apud Catholicos. Quocirca manifestum est de causis, illas & retinendas, & magno loco habendas esse. Cultus verò qui ijs Christiano ritu exhibetur, non ob iam dictas causas præstatur; sed idcirco, quia imagines sunt, defertur.

23. Hîc duplex esse potest. Nam aut idem cum illo est, quem ipsi creatori exhibemus, aut longe illo inferior. Idem erit, si mẽs per imaginem in creatorem transferatur, longe alius, si in ipsa imagine hæreat, eamq; vt sacram quandam rem, reuereatur.

24. San-

24. Sanctæ siquidem & sacræ sunt imagines, non propter materiam, non propter colores, non per manus impositionem, non per canonicã aliquam consecrationem, sed hoc ipso, quod ad aliquid sanctum significandum sunt constitutæ. Quemadmodum & sanctæ literæ sunt, qui Christi Euangelium continent.

25. Honor & cultus, qui imagini vt rei sanctæ exhibetur, longissime distat ab illo, qui Deo præstatur: longe ab illo, qui Sanctis cum Christo regnantibus: longe ab illo, qui virtute præditis hominibus in hos enim proprie potest honor conuenire. Verum quemadmodum sacra sunt & in honore habentur, quæ ad diuinum cultum sunt destinata templa, vasa quibus in templis vtimur, aliaq; id genus: ita etiam sacris imaginibus suum honorem deferimus.

26. Hoc est quòd his verbis expressit Nicena Synodus secunda (a). Venerandis & sanctis imaginibus salutationem & honorariam adorationem omnes exhibeant, non (secundum fidem nostram) veram latriam; quæ solum diuinæ naturæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ & vinificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reuerenter accedimus. a Synod. Nicen. act. 7.

27. Nam si cultus & honor, rei oportet respondeat dignitati: ex eoque summæ dignitati, summus honor debetur; mediocri mediocris conueniat: cum etiam sacris rebus maior insit dignitas, minor vero ijs, quæ res sacras significent; certe honor aliquis in imagines est conferendus.

28. Si natura duce fit, vt omnium quæ sensibus obijciuntur, imagines necessario in animo formemus, easque vel amemus, cùm videntur pulchræ & iucundæ, vel odio habeamus, cum sunt ingratæ & fœdæ, vel vereremur cùm sunt sacræ: certissimum vero sit, maximo honore dignã esse speciem illam, quæ Deum repræsentat: quod quæso peccatum est, eundem honorem tribuere pictis, & extra mentem positis imaginibus, quem ijs, quas mente concipimus, natura defert?

29. Verum cùm ita imagine vtimur, vt medium quoddam sit, quo mẽs in Deum fertur, animusque nõ in ipsa quiescit, sed per ipsam in Deum assurgit, Deumque in imagine intuetur: tunc necesse est, nisi in Deum prorsus impij & blasphemi inueniri velimus, eundem imagini quem Deo tribuamus honorem: propterea, quod vnus idemque motus est, quo mens in Deum, atque ipsam fertur imaginem.

30. Quod si nulla vestis, tam vere corpori vnitur vestito, quam imago illi rei, quam repræsentat, eo saltem tempore, quo rem præsentem exhibet: vestique cum corpore vere eundem cultum absque crimine tribuimus, quod peccatum est, Deum in imagine tanquam in veste adorare?

31. B. Augustinus (b) humanam Christi naturam, quæ filio vnita est, cultu latriæ adorari posse, docet exemplo purpuræ regiæ, quam simul b Augustin. de verbis dom. serm. 38.

cum

cum Rege tuto adoramus: & non poterit idem honor Deo ipsiusque imagini exhiberi, quando ipsa Deum repræsentat, animusque inter Deum & ipsam non distinguit, sed Deum & cum imagine, & in imagine, & per imaginem videt?

32. Certe non duo sunt hic, quæ adorantur: sed vnum colitur in alio, & tantum abest vt in hoc negotio Idololatriæ crimen committatur, & diuinus honor ad creaturas transferatur, vt etiam multo minus imagini in hoc adorationis genere, quam in priori illo tributum esse videatur.

a *Ambros. serm. 10. in Psalm. 118.*

33. Nempe omnem hic cultum Deo tribuimus, imagini nihil. In hunc sensum loquitur Ambrosius (a): Qui coronat (inquit) imaginem Imperatoris, illum vtique honorat, cuius imaginem coronauit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique, cuius statuam contemserit, fecisse videtur.

b *Trip. lib. 9. cap. 32.*

34. Docuit natura gentes virorum illustrium statuas ponere, atq; in statuis ipsos celebrare. Tulit non minus acethè Theodosius depositam fuisse ab Antiochenis Placillæ statuam, quam si viuæ vxori contumeliam intulissent (b). B. Chrysostomus Theodosium ob imaginum subuersionem & læsum & contumelia affectum conqueritur. (c)

c *Chrys. ad pop. Antioch. ho 2. & 3 & Trip. lib. 10. cap. 15.*

d *Trident. sess. 25.*

35. Quocirca in his Dei Trinitatisque imaginibus, ante omnia illud obseruandum, quod rudem populum docendum decreuit Synodus Tridentina (d), nouerit scilicet Deum non ijsdem quibus depingitur membris circumscribi. Tum deinde sciendum, non statim reprehendendos pictores, quod quædam in picturis exprimãt, quibus ipsæ historiæ, vnde imagines petuntur, nullam certam authoritatem præbent.

36. Quæ enim à pictoribus adiunguntur, & scripturarum sacrarum non nituntur authoritati; illa si aut necessario addenda censentur, aut certe conuenienter, & probabiliter; & communi Ecclesiæ consensu permittuntur, omni merito reprehensione vacare debent.

c *Chrys. hom. 48. in Matth.*

37. Sed nec omnium, quæ in his imaginibus inueniuntur, quærenda ratio est. Hic locum habere debet, quod in parabolis Euangelicis, obseruandum docuit Chrysostomus (e), vt nõ nimia cura angamur, sed vt cum quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio conatu inuestigemus,

CAPVT III.

De imaginibus tam bonorum quam malorum Angelorum, quæ ex ipsorum apparitionibus profecta videntur; deq; earum ratione & caussis.

38. APparitiones Angelorum tam bonorum quam malorum, non literis solum declaratæ sunt, verum etiam imaginibus expressæ. Quocirca hoc loco quid ipsæ imagines, cum apparitionibus commune habeant, & quæ ipsarum sit ratio, breuiter est expendendum, præsertim quando tota hæc res nullo fundamento

mento quibusdam niti videatur, sed ab hominum sola voluntate pendêre.

39. In bonorum angelorum imaginibus, & exterior forma, & corporis habitus, & cum ipsis coniuncta, aduertenda sunt.

40. Forma duplex est. quoniam aut integro perfectoque corpore depinguntur, aut solo, & quidem alato capite figurantur. vtrobique vero speciem humanam referunt, fulgentiq; aspectu & liberali, atq; adolescentis forma, animos intuentium ad se rapiunt.

41. Habitus corporis quandoq; omnino nullus est; vt cum sine vestibus nudi exhibentur: quandoq; ipsis dignus. Et hic nunc militaris est, & ad pugnandum accommodatus; nunc qui pacis sit argumentum; vt cum vestitu candido induti, zonis circa pectus & lumbos præcincti, lapidibus preciosis ornati, duabus alis pennati, & nubibus circundati, sed tamen discalceati conspiciuntur.

42 Coniuncta cum his sunt, gladius versatilis, crux, flagella, cithara, aliaq; cum dominicæ passionis, tum Musica instrumenta, virga item regia, bilibris, thuribula, locus, & his similia.

43 Omnibus his occasionem dedit partim scriptura, quæ ipsos hoc fere modo apparuisse demonstrat; partim totius antiquitatis cõsensus; partim ratio, quæ vel ornatum in his quærit, vel mentem instituit, aut confirmat.

44. Præfectæ ipsorum formæ authoritatem identidem dant sacræ literæ, quæ quotiescunque spiritus illos oculis nostris obijciunt, sub humana & quidem perfecta apparuisse multis argumentis insinuant. Sed & perfectam habuisse speciem videntur, quos in ipso templi sacrario asseruari voluit Deus (a): & quos ex lignis oliuarum fabrefactos atq; auro tectos, in medio interioris templi, constituit Salomon (b).

a *Exod 25.*
b *3. Reg. c. 6.*

45. Imperfecta forma ex sola videtur ratione pendere. Docet non membra in agelis esse quærenda, ne ipsos corpora suspicaremur: sed duplici virtute excellere; videlicet intelligendi, cuius argumentum caput est; & promptitudine quam celerrimè diuina mandata exequendi, quod quidam in alis obseruant.

46. Sed alarum leuitas Dionysio (c) significat, quod terreni corporis sarcina libri, toti absque vlla admixtione vel pendere ad cœlestia ferantur, & in diuinarum rerũ contemplatione iugiter occupentur.

c *Dionys. c. 15. de cæl. Hier.*

47. Fulgentem aspectu obseruatum esse in ipsis apparitionibus, trepidatio illorum quibus se exhibuerunt, demonstrat (d), sed & ratio eũdem postulare videtur. si quidem in illorum olim societatem assumendi, fulgebunt sicut splendor firmamenti (e), & B. Augustinus (f) non alio, quam fulgenti aspectu Gabrielem ad Virginem salutandam ingressum esse aperte fatetur.

d *Luc 1. Marc 16. Matt. 28 &c.*
e *Daniel 12.*
f *Aug. ser. 14. de Natiuitat. Domini.*

48. Iuuenilis ætatis plurima argumenta præbet scriptura, quæ iuuenes vocat (g). Sed & officiorum ratio, & vitæ conditio hanc postulare videbantur, vitæ quidem conditio; ne tempore putares senescere, &

g *Mar. 16. &c.*

ætate consumi: officiorum vero ratio, ne si infantis aut senis personam referrent, ad munia sua exequendum, iudicarentur inepti.

49. Nuditas in homiuibus verecundiã parit; in angelis virtutis argumentum est, sanctitatis inquam, castitatis, immortalitatis atque innocentiæ: quibus etiam primi illi parentes vestiti, nec ipsa nuditate confundebantur, cum non esset in corpore cui verecundia deberetur: nec quicquam putabant velandum, quia nihil sentiebant refrenandum (a).

a *Aug. de gen. ad litterã lib 11. cap. 1.*

50. In habitu militari angelum proponit historia Machabæorum (b). Apparuit (inquit) præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Simili modo iam olim ante annos octingentos, & eo amplius depictum fuisse possumus credere, qui Assyriorum centum octuaginta quinque millia vna nocte trucidauit (c): quã ex cera fusilem picturam, pietate plenam se vidisse testatur & amasse B. Chrysostomus (d).

b *2. Mach. c. 2.*

c *4. Reg. 14.*

d *Chrys. in oratione quod veteris & noui test. vnus sit legislat. vide princip. act. 4. sept. synod.*

51. Vestitus candidus, & innocentiæ & gaudij signum est. quocirca & angeli hoc ipso vitæ suæ integritatem testantur; atque item gaudium, quod tum ipsi habuerunt, tum homines concipere oportebat, si quando in hoc habitu conspecti sunt. Apparuerunr in vestibus albis, & animos addunt Iudæis (e), luctum interdicunt mulieribus, & mortalium genus, in primis vero Apostolos ob lætissimam Christi ascensionem recreant (f).

e *2. Mach. 2.*

f *Marci 16.*

52. Neque tamen ita candidum ipsis habitum tribuimus, vt quemcunque alium damnemus. Seuerum quendam hæresiarcham arguit Ioannes Gabalon Episcopus, quod putauerit nõ decere angelos purpureas sed albas vestes. Ignorat (inquit) sanctis potestatibus non esse curæ, quo vestitu vtantur (g).

g *Molanus de picturis.*

53. Et candido quidem habitu non quocunque, sed sacerdotali pinguntur. quia scilicet sacerdotum quasi munus subeunt: quando & pro nobis preces fundunt, & nostram causam apud Deum agunt, & hominum salutem variis rationibus & modis promouent.

54. Zona, qua præcincti hominibus apparent, expeditos & aptos ad ministeria exequenda declarat. sed & continentiæ atque castitatis est argumentum (h): quæ quia non corporis solum, verum etiam mentis inuenitur in angelis: fit, vt & circa pectus & circa lumbos præcincti conspiciantur.

h *Greg. lib. 28. Moral. c. 8.*

55. Lapidum & pretiosarum gemmarum ornatus, partim ex ipsa antiquitate, sed tamẽ ex ratione prçcipue videtur esse profectus. Constantinus enim Magnus (i) in Basilica Constantiniana, quę Lateranensis modo dicitur, inter cæteras imagines quatuor angelos ex argento in quinis pedibus posuit, qui pensabant singuli libras centum quinque cum gemmis Alabandenis.

i *Teste Damaso in pontific.*

56. Et hæ quidem gemmæ non parum ad ornatum faciebant. Sed tamen

men variarum quoq; virtutum splendorem testabantur; non secus, atque duodecim illæ, quatuor ordinibus distinctæ, & ἀντωλογίαις infixæ, sacerdotem summum sui officij commonefaciebant (k).

k *Exod.* 28.

57. Nempe (vt pauca de pluribus assignemus) Saphirus cærulei coloris ipsorum castitatis argumentum est: Chrystallus, qui vt habet Basilius (a) cum aere contendit, & ei similis in perspicuitate videtur, purissimæ substantiæ: Hyacinthus rubeus, cœlestis conuersationis: Smaragdus viridissimus, virentis semper & nunquam deficientis naturæ (b).

a *Basilius in opere hexa. hom.* 2.

b *Vide apud Brun. lib. de imag. cap.* 12.

58. Alarum iam olim meminit Chrysostomus (c), monetque Gabrielem volitantem à pictoribus delineari, nobisq; repræsentari: nõ quod Deus illum pennatum condiderit; sed ob sublimes & excelsas cœlestis naturæ vires; atque vt illum è supremo domicilio & cœlesti collegio, ad terram nostra causa deueniisse, gratis animis reputemus.

c *Chrys. hom.* 3. *de incomp. dei natura.*

59. Nubibus plerumque circumdantur; vel quia in cœlis eorum propria est sedes; vel quod Dei in nubibus aliquando personam sustinuerunt (d): vel, quia sicut solis splendor ad humanum aspectum per interpositas nubes transfertur; ita lux diuinæ veritatis, quam illi reuerenter suscipiunt, in mortalis pro cuiusque captu, secunda deriuatione transfunditur (e).

d *Exod.* 16. *Deut.* 31. *Mat.* 17. & 24. *Luc.* 22. *Actuum* 1.

e *Greg. in Iob lib.* 27. *cap.* 6. *Dionys. ca.* 4. *cæl. Hier.*

60. Etenim non solum angeli ab angelis illuminantur & informantur; verum etiam diuinæ prouidentiæ ratio postulat; vt homines per ipsos in multorum veniant cognitionem. Et angelis quidem per partes offerunt, quod ipsi quasi vniuersim perspiciunt; hominibus vero res diuinas in simulachris quibusdam à se effictis obijciunt, & non paruas vires intellectui ipsorum afferunt (f).

f *Thom.* 1. *p. q.* 111. *art.* 1. *in cor.*

61. Discalceati figurantur. Nam sic patriarchis olim apparuisse credi potest (g). Sed & Dei ministris familiare est, hoc modo mitti, quemadmodum docent exempla Isaiæ (h) Moysis, (i) Apostolorum (k). Accedit quod sanctos viros, quorum studium est in terris angelicam vitam ducere calceis abstinuisse legamus (l): Denique hoc significatur eos, qui commune cum angelis officium habent, solutos esse debere à prauis affectibus, vt facilius spirituale iter gradiantur.

g *Genes* 18.
h *Isaiæ* 20.
i *Exod.* 3.
k *Matth.* 10.
l *Epiph. lib.* 2. *tom.* 1. *hæres.* 52. & *lib.* 3. *tom.* 2. *hær.* 28.

62. Instrumenta quoque sanctis spiritibus ars pictorum affinxit. Illa vero partim Dei vel iram, vel misericordiam, vel iustitiam ad mentem nobis reuocant; partim angelorum testantur authoritatem, officium, & vitæ conditionem. Passionis insignia, testes sunt diuinæ misericordiæ: gladius versatilis, iræ; iustitiæ, libra, cum qua S. Michael pingitur. Ipsorum vero potestatem declarant virga regia; officium, tuba; conditionem, instrumenta musica.

63. Omnibus his authoritatem sacræ literæ dare videntur. Videbimus signum filij hominis in illo die, vtique angelorum ministerio

deferri(a).postquam electus Paradiso fuit primus parens, constitutus est Cherub,qui gladio flammeo atq; versatili aditum adipsum prohiberet(b).appensus in statera diciturBalthasar,& inuētus minus habere (c).Virga vsus est angelus,qui Gedeoni author fuit belli cōtra Madian suscipiendi(d).Tuba canit,qui à quatuor mundi partibus, mortales ad studiorum suorum fructus percipiendos euocabit(e).Instrumenta musica insignem voluptatem qua perpetuo perfruuntur, testari videntur, 64. Et thuribula illis tribuuntur;vt intelligamus nostras Deo preces offerre(f). & in columnis altarium constituuntur: vt significetur tremendis. Missæ sacrificijs presentes assistere: quemadmodum egregie declarant Ambrosius(g),Chrysostomus(h)& Innocentius tertius.(i).

65. Hæc de bonorum Spirituum imaginibus. At dæmones nulla certa forma, nullo certo habitu exprimuntur,quia nec vllo certo habitu formaue se offerunt.Effinguntur in forma variarum beluarum, tam quadrupedum, quam reptilium & volatilium. Sed & in hominis forma, & non tantum viri,verum etiam mulieris:& nunc quidem venusta, nūc turpi, atq; quæ ipsorum ingenio respondet, horribili, cum vnguibus, cornibus & cauda,&c.

66. Ratio horum varia esse potest. Primum manifestum est, quod se varijs formis exhibuerint(k):eas vero ars imitatur.deinde sacræ literæ ita ipsos depingunt, vt quascunque formas, sine honoris proprij periculo,admittere posse videantur: & nunc quidem aspidis,nunc draconis,nunc basilisci, nunc aquilæ, nunc vulturis nominibus compellant(l).

67. B.Iob vnum aliquem ipsorum his coloribus depingit.Sternutatio eius(inquit)splendor ignis,& oculi eius vt palpebræ diluculi:de ore eius lampades procedunt,sicut tedæ ignis accensæ:de naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis.Halitus eius prunas ardere facit(m).

68. Sed & ingenium eius & potestas non parum ex quibuscunque deformibus formis perspicitur.Rapacitatem testantur vngulæ,cauda fraudem,crudelitatem trux vultus,cornua potentiam,

quæ tanta est,vt non sit potestas super terram,
quæ comparetur illi,qui factus est
(n)vt nullum timeat.

FINIS.

a *Matth.* 24.
b *Genes.*5.
c *Daniel* 5.
d *Iudicium* 4.
e *Matth* 15.
f *Iob* 3.& 12.
g *Ambrosius Lucæ* 1.
h *Chrys hom.* 21. *in act.* & 23.*in Epist. ad Ephes.*& 3.*contra Arm.* & *lib.* 6.*cap.* 7. *de Sacerdot.*
i *Innocent. li.* 2.*de sacro altaris ministe.*1. *cap.* 24
k *Thes.* 160.
l *Brun. de imag.ca.*14.
m *Iob* 41.
n *Iob ibid.*

LIBER SECVNDVS DE PRODIGIOSIS VIVORVM HOMINVM APPARITIONIBVS.

ISAGOGE IN LIBRVM SEQVENTEM.

CVm argumento de Apparitionibus Spirituum, cuius aliàs disputatio data est, magnam affinitatem habent Apparitiones prodigiosæ hominum viuẽtium: quocirca non absre fuerit, si hanc nouam Disputationem cum illa coniunxerimus, et quid de his sentire oporteat, pro ratione scholasticæ concertationis, paucis exposuerimus. 1.

2. Viuorum tria distinguuntur genera. Quidam, postquam ex hac vita discesserunt, resumptis diuina virtute corporibus, ad æternam illam, verèque securam patriam translati sunt. Quidam carnis sarcinã nondum deposuerunt, sed tamen, Deo ita prouidente, alicubi quiete summa perfruuntur, & olim venturi sunt, vt Christianorum causam contra impotentissimos Antichristi, conatus agant. Tertij sunt, qui communẽ in terris adhuc nobiscum vitam agunt. In primo genere sunt sancta Dei genitrix, illi itẽ, qui Hierosolymis, ipso Christi Resurrectionis die, è sepulchris prodierunt, atque inprimis, primitiæ dormientiam, Christus Dominus. In secundo Elias, Propheta, Enoch, & vt plerique non sine

ratione censent, Discipulus, quem diligebat Iesus. In tertio deniq; quotquot hic mundus continet. Quid de priorum Apparitionibus sentiendum sit, sufficienter docet prior illa de Spiritibus Disputatio. De postremis præsens instituta est.

3. Horum viuentium duplices Apparitiones licet constituere. Aliæ sunt Naturales: aliæ non Naturales, sed Prodigiosæ. Illarum principium natura est: harum altior quædam, et extra hominem consistens virtus. Priores sunt hominibus cum brutis animantibus communes: has fere sibi habent proprias. Hic de Prodigiosis quæstio est.

64. Prodigiosæ non vnius sunt generis. In quibusdam viui sub propria specie & forma se exhibent, nunc dormientibus, nunc vigilantibus: in quibusdam sub aliena & peregrina, qualis est asinorum, luporum, catorum &c. conspiciuntur. De illis prior nostra Disputatio instituta est, de his posterior.

DE

DE PRODIGIOSIS VIVORVM APPARITIONIBVS SVB PROPRIA ET HVMANA FORMA, EORVM INPRIMIS, QVI IN SOMNIS APPARENT.

CAPVT PRIMVM

Demonstratur vivos in somno alijs quandoque prodigiosè apparere.

APparitiones Prodidigiosæ Viuorũ, qua sub propria se forma exhibent, duplicis sunt generis, quędam dormientibus accidunt, quæda vigilantibus. Vtrasq; hac priori Disputatione persequimur, & initium ab ijs, quibus viui à dormientibus conspiciuntur, facimus. Est porro de his multiplex quæstio. Quæritur enim, Verene tales Apparitiones fiant: quæritur, quid à Naturalibus, quas in somno frequenter patimur, differant: præterea, quæ ipsarum causæ: qui fines: Vnde cognosci possit, vtrum à bonis vel malis angelis sint factæ: atque vtrum credi debeat aut possit ijs, quæ in huiusmodi Apparitionibus reuelantur.

6. Apparere aliquando viuos dormientibus, præter naturæ ordinem, nulla ratione negari debet. Neque enim exempla desunt, quæ huic rei fidem faciant: neque ratio docet hoc ex eorum esse genere, quæ fieri nequeunt. Exemplorum sylua maxima est. Alia suppeditant sacræ literæ, quarum authoritas est grauissima, alia Scriptores fide digni.

6. Ex sacris literis primum se offert visio Pincernarum Præpositi Eunucho Regis AEgypti facta. Hic postquam in somno conspexisset vitem, primum gemmas, deinde etiam vuas producentem, Pharaonem quoque mensæ vidit assidentem, & de sua manu poculum musto plenum, quod iam ex vuis expresserat, sumentem. Visionem Ioseph exposuit, & subsecutus euentus confirmauit

8. Cum diuina vltio Paulum Christianorum sanguinem sitientem in via secuta fuisset, atque ipse sententiam Domini, ad quam sequendam se obtulerat, Damasci expectaret, vidit in somnis virum sanctum, Ananiam nomine, domum iutrantem, sibiq; manus imponentem.

9. Pertinent huc Ezechieli exhibitæ Apparitiones, quibus in Babilone existenti grauissima, quæ populi Principes Hierosolymis crimina committebant, contigit intelligere. In altera visus est Iezonias filius Sophon cum 70. viris, thus adolere depictis in pariete idolis: in altera Pheltias filius Bananiæ cum Zozonia filio Azor, alijsque 25. cõsilia tractare, qua ratione suspectum populo redderent prophetã Hieremiam.

10. Hæc

10. Hæc ſacrarum literarum. Eccleſiaſticorum Scriptorum ſequentia ſunt. Refert Sozomenus Vitum egregia ſanctitate clarũ, cum primum à
Lib. 6. cap. 33. Conſtantino Magno viſus eſſet, agnitum fuiſſe, propterea quod eius imaginem ſæpius ipſi Deus in ſomnis oſtendiſſet, iuſsiſſetque vt dictis eius obediret.

11. Cum ducem copiarum apud Gratianum Imperatorẽ ageret Theodoſius, admirabile viſum, & plane ab omnipotente Deo exhibitum, vt
Lib. 5. cap. 6. Theodoretus refert, conſpexit. Videbatur ſibi videre Diuum Meletiũ, præſulem Antiochenorum, paludamentum ſibi imperatorium induẽtem, & coronam capiti imponentem. Quod conſpicatus noctu, manè narrauit vni ex familiaribus. Hic planum dixit eſſe ſomnium, nec habere obſcuri ambiguiue quicquam. Idem poſtea Imperator factus, cum contra Arij hęreſim, 150. Epiſcoporũ ſynodũ Conſtantinopoli indixiſſet: indicari ſibi magnũ Meletium vetuit, quod cuperet illum de ſomnij viſo agnoſcere: cumque in Regia adeſſet Epiſcoporum omnium Concilium, alijs neglectis ad Meletium ſolum Imperator accurrit, & tanquam amans patris filius, longo poſt tempore, fructu paterni aſpectus percepto, complexus illum, oſculabatur oculos, labia, pectus, caput, & coronatricem dexteram; expoſuitque eidem iam pridem viſum ſomnium. Hæc Theodoretus. Similis huic eſt viſio, qua in ſomnis Iuſtiniano Imperatori apparuit Sampſon; quam ex Metaphraſto refert Surius die 27. Iunij.

12. Viſus eſt Mauritio Imperatori Phocas quidam, qui & ipſi, & ipſius
Fulg. Lib. 1. c. 5. familiæ crudelem mortem inferret. Viſione perculſus Imperator, rem communicat cum genero Philippico. Authorẽ cædis inquirit; & Phocam eſſe intelligit. Vbi inferioris conditionis, quàm vt timeri debeat, intelligit eſſe, ſecuro eſt animo: ſed tamen non inanis fuit viſio: Præter omnem Mauritij expectationem militari tumultu ẽlectus in Imperatorem Phocas, de Mauritio vniuerſaque eius familia graues pœnas ſumpſit.

13. Ioannes Monachus (quem de belli ciuilis euentu Maior Theodoſius conſuluit, quod ſpiritum haberet propheticum) cuidam mulieri religioſiſsimæ, impatienter eum videre cupienti conſpectum ſuum recuſauit: cum verò illa, vt hoc impetraret, per maritum ſuum vehementer inſtaret, precibus vir ſanctus victus, Vade, inquit, dic vxori tuæ, videbit me nocte proxima, ſed in ſomnis. Res ita accidit. apparuit in ſomnis Ioannes, monuitque vxorem, quicquid fidelem coniugem moneri oportebat. Mulier cum euigilaſſet, talem ſe vidiſſe hominem viro ſuo, qualẽ ille eum nouerat: & quid ab eo audiuerit, indicauit. Qui
De cura pro mortuis c. 17. hoc ab ijs comperit (inquit B. Aug. ex quo hæc omnia) mihi retulit vir grauis, & nobilis, & digniſsimus credi.

14. Idem Aug. refert, quod ſubiungimus. Carthaginis Rhetor Eulogius, qui meus in eadẽ arte diſcipulus fuit, ſicut mihi ipſe, poſteaquam in Africam remeauimus, retulit, cum Rhetoricos Ciceronis libros diſcipulis

cipulis suis traderet, recensens lectionem, quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum: Quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus: qua nocte somnianti ego illi, quod non intelligebat exposuisimo non ego (inquit B. Augustinus) sed imago mea, nesciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud siue agente, siue somniante, & nihilominus de illius curis curante. Ita Aug. *Ibidem c. 11.*

15. Palladia quædam, ob tremorem membrorum, qui matris imprecationem secutus erat, toti orbi miserandum spectaculum facta: dum pro sanitate recuperanda loca sacra, vbicunque terrarum Deus miracula operaretur, accederet; vidit in somnis Beatum Aug. qui admoneret, vt ad glorioſi Martyris Stephani memoriam Hipponem accederet; fore, vt ibi voti fiat compos. Obedit. Palladia visioni, & sanitati restituta est, vniuerso Hipponensi populo spectante, & Deum prædicante. Vide exemplar libelli, cuius B. Aug. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. meminit. *B. Augustf.*

16. Mirabilis est visio (quam idem August. cap. 12. lib. de cura pro mortuis agenda refert) Carmæ cuiusdam municipij Tullien sis, quod Hipponi proximum est. Hic, præter alia multa, quæ in somno vidit, etiam B. Augustinum, & presbyterum quendam atq; clericos non paucos adhuc viuos conspexit: quos tamen ille, quia inter mortuos conspiciebat, mortuos suspicabatur. *B. Augustf.*

17. Nicolaus Myrensis Episcopus in somnis primum apparet Constino Magno, deinde Alabio Prętori. Vtrumque vrget, vt Nepotianum. Vrsum atq; Herpilionem custodia & vinculis, quibus præter ius tenebantur, soluant: ni optemperent, graue siue suisque malum impendêre. Constantinus per Alabium de visionis veritate edoctus, vinculis solutos cum præclaris muneribus remittit Beato Nicolao, atque, vt ob acceptum beneficium sint grati, imperat. *Simeon Meta. apud Sur. tom. 6.*

18. Paulinus Nole Episcopus, cum in Affrica captiuus teneretur, prophetiæ dono claruit. Eundem per somnium vidit Rex medium, inter duos Iudices sedentem, sibique è manibus eripientem flagellum. Rex vesione territus, virum sanctum honorificentisime demittit, condonatis ei omnibus, qui cum ipso captiui tenebantur, ciuibus. Hoc ex B. Gregorij tertio Dialogorum. Idem de Benedicto Patre refert, quod fratres quosdam in prædium iuxta Tartano sensem vrbē, vt monasterium ibidem construerent, miserit; adiungens se subsecuturum, atque totius ædificij formam demonstraturum. definito die fratres Benedictum exspectant, verum non nisi in somno ipsis apparuit, & quid quibus locis ædificari debeat, demonstrat. *Greg li. 2. dialog. cap. 1. 2. dial. ca. 22.*

19. Cum Romæ in Apostoli Petri templo pernoctaret S. Dominicus, & de instituti sui fundamentis iaciendis cogitaret; vidit sibi coniungi socium S. Franciscum, qui in mortalibus ad pœnitentiam reuocandis strenuam operam secum nauaret. Huic die postera Franciscus fortè occurrit; & quem nunquam antea aspexerat, ex nocturno visu statim agnouit, &, vt fratrem tantique operis socium arctè complexus est; *Platus li. 1. de bono status Religiosorum c. 24.*

expoſuitque eidem, quid ſibi de vtroque à Domino eſſet indicatum.

20. In infinitum oratio excreſceret, ſi quæ Gentium hiſtoriæ, & noſtra ætas exempla ſuppeditat, recenſere velimus: contenti erimus vno atque altero. Smerdes in ſomnis viſus fratri Cambiſi Perſarum Regi in regio ſedens ſolio, cœlum contigere vertice. quare metuens Cambiſes, ne regnum inuaderet, Prexaſpen ad fratrem occidendum miſit.

Herodo. lib. 3.

21. Pompeius obſoleta indutus veſte exhibet ſe per quietem Petilio, nauis gubernatori, dum in Aegeo nauigat; & non multò poſt, eodem ſocijſque omnibus viſus eſt.

Alex. lib. 3. c. 26.

22. Addamus his tertium quod Valerius Maximus refert. Duo familiares Arcades (inquit) iter vna facientes, Megaram venerunt: quorum alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit; is autem qui in hoſpitio, erat vidit in ſomnis comitem ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidijs circumuèto ſubueniret. Quo viſo excitatus proſilijt, tabernamque, in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero deinde fato humaniſsimum propoſitum tanquam ſuperuacaneum damnauit, idque viſum pro nihilo ducens, lectum & ſomnum repetijt. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt qui auxilium vitę ſuę ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionem non negaret. Corpus enim ſuum à caupone trucidatum, tùm maximo plauſtro ad portam ferri ſtercore coopertum. Tam conſtantibus familiaris precibus compulſos, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum quod in quiete demonſtratum erat, deprehendit, cauponemque ad capitale ſupplicium perduxit.

Lib. 1. cap. 7.

43. Sylua hæc omnis generis exemplorum non poteſt non fidem cauſæ noſtræ facere. Eandem confirmat eorum, qui hæc nobis tanquam ſuis proſteris reliquerunt, authoritas. Ad vtrumque accedit ratio. Nihil ſiquidem (ſi rectè conſideraueri mus) hic aſſeritur, quod cum recta ratione pugnet: nihil cuius cauſæ & rationes dari non poſsint. Nã quæ ſic ſe dormientibus ſimulachra exhibent, ſi conditionem ipſorum attendas, ab ijs, quorum natura eſt principium, quæque vltrò ſomniantibus occurrunt, non differunt: quicquid inter ipſa diſcriminis eſt, ex cauſis externis petendum eſt. Verum de hoc ſequenti Capite.

CAPVT II.

Docetur quomodo Prodigioſæ Apparitiones viuorum, quæ dormientibus accidunt, differant a Naturalibus: & præterea, quæ Prodigio quæ Naturales dici debeant.

DIfficilis admodum res eſt Prodigioſas, ſiue non Naturales viuorum Apparitiones, quæ ſomniantibus accidũt à Naturalibus diſtinguere: propterea quod vt in Naturalibus, ita quoque in Prodigioſis, & non Naturalibus haud poſtre-

postremas natura partes habeat, omnesque sibi imagno iure videatur asscribere.

25. Deinde forma, modusque vtrarumque omnino idem est. Qua specie & forma in Naturalibus, eadem in non Naturalibus viui dormientibus exhibentur: illa scilicet, quam viui habent, & qua à quibuscunque alijs discernuntur.

26. Eadem & virium interiorũ, in quibus ipsæ fiunt, operationes. Funguntur illæ suo officio, siue Apparitiones excedant vires naturæ, siue à principijs naturæ originem trahant. Res quia per se manifesta est, probatione non indiget.

27. Vnde igitur inter ipsas distinctio petenda est? Sunt, qui non Naturales à Naturalibus distinguant: vt omnes illæ non Naturales & Prodigiosæ dicantur, quæ dormientes & somno oppressos terrẽt; Naturales verò, quæ nec terrorem incutiunt dormientibus, nec vim vllam afferunt, aut etiam molestæ non sunt. Sed horum error manifestus est. Potest in Naturalibus terror incuti: possunt non Naturales & Prodigiosæ absque vlla eorum, quibus fiunt, perturbatione accidere.

28. Sic errant, qui non Naturales eas esse asserunt, ad quas fũtura, quæ in ipsis Apparitionibus præuisa sunt, sequuntur: Etiam Naturalibus haud rarò accidit, vt quæ in ipsis conspiciuntur, eueniant? & sæpè sunt Prodigiosæ & non Naturales, in quibus, quæ præuisa sunt, fallunt.

29. Errant, qui Prodigiosas volunt, quibus nullæ per præcedentes cogitationes occasio data est; quemadmodum Naturales definiunt, quę à præcedentibus cogitationibus originẽ trahunt. Errant, inquam, quia fieri potest, vt & hæ sint Prodigiosæ; & illæ Naturales. Quis Naturalem dixerit reuelationẽ Iosepho in somno factam, dum admonetur, ne coniugem relinquat? & tamen quàm graues cogitationes illam prioribus diebus præcesserunt? Et nobis quoties imagines rerum atque hominum in somno occurrunt, de quibus ne minimam quidem cogitationem habuimus? omnesne has Prodigiosas, & non Naturales dixerimus? *Matth. 1.*

30. Errant quoque, qui Prodigiosas putant, in quibus viuorum imagines efficaciores sunt, clarius se exhibent, atque, vt ita dicam, vehemẽtiorem in phantasiam faciunt impressionem. Esto, aliquæ hoc præstant; non præstant tamen omnes. Adde quod etiam illæ, quas Naturales dicimus, tantas quandoque impressiones faciunt, atque ita se in phantasiam insinuant, vt non in somnis, sed vigilia accidere iudicentur, nec rarò dormientes excitent.

31. Vnde igitur distinctio petenda? Respondemus ex duplici rerum genere, si rectè ratiocinari voluerimus. Ex causa efficiente, atque ipsorum, qui in somnis apparent functionibus & officijs. Alia illarũ causa efficiens est; alia harum. Sic aliæ illarum functiones, & officia aliæ harum.

32. Efficiens prodigiosarum siue non Naturalium Deus est atque angelus: Naturalium natura vel cœlum. Quæcunque enim Apparitiones in somnis accidunt, ab his principijs effici necesse est: & Naturales nobis dicuntur, si à posterioribus producantur; Prodigiosæ verò, siue non Naturales, si à prioribus.

33. Quod si quis Deum etiam Naturalium Apparitionum causam dixerit, propterea quod omnia ipse administret, & tanquam vniuersalis causa à nullis actionibus se subtrahat; scire is debet, Deum aliter ad Naturales, aliter ad non Naturales, concurrere. In Naturalibus cum natura agente se coniungit: In his naturam ad sibi seruiendum, & has Apparitiones producendas, assumit. Quocirca in illis natura sibi, in his Deo satisfacere, dici potest.

34. Per se tamen Deus nullas producit. In omnibus Angelorum opera vtitur: veruntamen à Deo esse dici solent, quia Deus hic Angelorum ministeria imperat, & quod sola voluntate potest, horum opera exequitur.

35. Porro non bonorum tantùm Spitituum, qui cum Deo felicem vitam agunt, verum etiam improborum, qui ob demerita perpetuis supplicijs deputati sunt, opera hæ Apparitiones fiunt. Vtrorumque æqualis est ad has efficiendum potestas: vtrique illas & producere possunt, & producunt.

36. Atque, hæc prima causa, qua non Naturales, à Naturalibus distinguntur. Altera, ab ipsis functionibus, & officijs, quæ, qui in somnis apparent, exercent, sumitur. Hæc si talia sint, vt naturam ducem, atq; auctorem habere nequeant, non sine ratione Apparitiones eorum, qui illa exercent, inter Prodigiosas, siue non Naturales reponuntur.

37. Prior ratio difficilior est, posterior expeditior. Si enim ipsas Apparitiones in se inspiciamus, difficilimum est definire, vtrum hæ, vel illæ; à spiritibus, an à natura productæ sint. At quemadmodum ex functionibus res aliæ, ita facilius etiam ipsis Apparitiones distinguimus.

38. Sed tamen prior illa, quamuis difficilior, certior est ratio: quoniam quod Prodigiosæ sint, & non Naturales, quæ à spiritibus ipsis fiunt, nullus ambigit, dubitare verò licet, vtrum inter Prodigiosas, & nō Naturales numerandæ sint, cum quibus operationes siue functiones etiam admirabiles sunt coniunctæ.

39. Quam enim mirabiles rerum nobis in somnis species occurrunt? quàm de rebus multis, nunc verè, nunc falsò informamur? & tamen omnia hæc ad externas causas reijcere haud prudentis est hominis, quemadmodum temerarij inter prodigiosa & non Naturalia somnia reponere.

CAPVT III.

Ostenditur quæ sit causa efficiens & formalis Apparitionum, in quibus viuentes dormientibus offeruntur.

Quæ

QVæ de causa efficiente Prodigiosarum Apparitionũ eorum, qui extra somnum vigilantibus apparent; postea dicturi sumus, illa propemodum omnia in his, quæ dormientibus accidunt, locum habent. primum enim non ipsi homines, qui in somnis apparent, Apparitionum auctores sunt. Nam neq; semper ijs, quibus apparent, sunt præsentes: neque tantæ ipsorum vires sunt, vt externis sensibus somno captis, in dormientium phantasiam, quæ harum Apparitionum domicilium est, sese insinuare valeant, suique simulachra, & species efficere. 40. Capite 9. Vide Greg. lib. dialog. cap. 22

41. Sed neque semper sciunt, quod appareant, neque quid cum ijs, quibus apparent, agant. Quid, quod nec sine reuelatione sibi facta, id vlla ratione scire valeant?

42. Præterea quemadmodum illæ, quæ vigilantibus accidunt; ita hæ, quæ eueniunt dormientibus, à Spiritibus efficiuntur, nunc quidem à bonis, nunc à discolis & peruersis. Vtrorumque hic æqualis vis, atque potestas est.

43. Est quoque difficilimum definire, quas mali Spiritus efficiant, quas boni. Sæpe à malis fiunt, quas à bonis esse prefectas; meritò quis opinari potest; quemadmodum & à bonis factas; quas tribueret malis.

44. Accedit, quod in vtrisque eadem forma sit. Non alia, quam homines habent, forma apparent, quicunq; in somno apparent: sed nec, vt alia quàm habent, appareant, conuenit.

45. Verum tamen hoc interest inter has, & illas: quod hæ vnam habẽt rationem, qua fiant, illæ plures. Nunquam hic corpora exhibentur: nunquam sensibus externis illuditur: quod in illis haud rarò accidit. Hic omne, quantum quantum est, interiorum sensuum exercitium est.

46. Dupliciter verò interiores sensus hîc immutari contingit. Primũ quidem, quando quæ in phantasia imago viuentis hominis cernitur, nunquam in sensibus exterioribus fuit, sed ipsa quanta quanta, & qualis qualis est, à Spiritibus fingitur & formatur: deinde, quando aliquãdo in ijsdem fuit, sed tamen a Spiritibus excitatur, & phantasiæ objicitur. Exempla vtriusque Caput 1. suppeditat.

47. Vtrumq; duobus modis accidit. Nam animus hominis (quoad vsum rationis, & agitationem mentis pertinet) aut suas etiam in his Apparitionibus habet occupationes, aut prorsus ab ijsdem liber est, sola phantasia occupata,

48. Prior modus vsitatio est. Id ex Apparitionum fine quiuis intellexerit. Cum enim hic propositum sit Spiritibus, homines vel de rebus quibusdam informare, vel ad agendum aliquid impellere, aut ab aliquo auocare, & deterrere, omnino has Apparitiones efficere videntur, vt non videant tantùm, sed etiam intelligant, quod per somnia repræsentatur.

49. Idem confirmat, quod in somno si quando hæ Apparitiones fiunt

ratiocinentur, iudicent, mirentur, & noua quædam excogitent: quinimo etiam ad se ipse animus conuertatur, & ad suas actiones considerandas, & dijudicandas aciem suam, vireſque reflectat; cunctetur, hæreat, dubitet, secum ipse disceptet, an tunc dormiat, nec ne.

50. Non tamen propterea existimandum est, quia in somno expeditus est vsus rationis, esse ibidem perfectum liberi arbitrij vsum: non, inquam, hoc existimandum est: Ad plenum & perfectum liberi arbitrij vsum, opus est perfecta hominis libertate, id est solutione omnium sensuum, & potentiarum; ita vt ipse homo, qui tunc agit, non aliunde agatur, sitq; sui atq; suarum omnium operationum dominus; demum in potestate eius sit, hoc vel illo modo agere; aut etiam nihil agere: quod in somno nequaquam euenit.

51. Hinc est, vt quibus hæ Apparitiones contingunt, non peccent siue ijs, quæ in somno proponuntur, acquiescant, siue non acquiescant: quamuis à Deo, siue bonis angelis agenda proponantur. Nullum peccatum est, vbi liberi arbitrij vsus liber non est.

52. Sic nec vllum hic meritum habent; nec laudem merentur, si quæ honestatis aut virtutis exercitia insinuantur, exequi cogitèt, aut exercere sibi liberè videantur. Quemadmodum in somnis nullum peccatum: ita nullum meritum, nullum virtutis exercitium.

53. Quocirca quod Salomon, dum in somno sapientiam petijt, & prudentiam regendi populum; placuisse Deo vsque adeo dicitur; vt summam ei se eidaturũ sapientiam, & præterea ea, quę non postulasset, bona, cumulatissimè largiturum polliceretur, non ita accipiendum est, quod reuera hoc nomine Deo placuerit; sed, quemadmodum sibi visus est petere sapientiam a Deo, ita quoque visus sit videre, Deum ipsius petitionem approbare: cum tamen reuera, nulla tunc fuerit petitio, nullum meritum Salomonis, nullum item responsum, nullumque Dei promissum.

3. Reg 3.

Perierius q. 7. 1. cap. in Daniel.

CAPVT IIII.

Docetur vnde cognosci possit, sit ne Apparitio in somnis facta, à bonis Angelis missa, an a malis.

54. VNum hîc tanquam certum, & indubitatum ponitur; alterum in quæstionum vocatur. Certum est dormientibus somnia quædam à dœmonibus suggeri; quædam verò à Deo, siue bonis angelis, qui Dei hîc vices agunt, immitti.

55. Nisi enim (inquit B. Gregorius) somnia aliquando ac occulto hoste, per illusionem fierent: nequaquam Scriptura dixisset, Multos errare fecerunt somnia, & illusiones varię. Nec in Leuitico esset scriptum, Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.

lib. 8 moral. c. 13.

Ecclesiast: 39. cap 9.

56. Et nisi, (subiungit ibidem Gregorius) ex mysterio reuelationes orirentur, Ioseph præferendum se fratribus per somnium non videret:

Genes. 31.

ret: nec Mariæ spõsum, vt ablato puero, in Aegyptum fugeret, per somnium Angelus admoneret.

57. Hoc igitur certum est. In quæstionem verò vocatur, quibus signis agnosci queat, quæ Apparitiones à bonis Angelis; & quæ à malis mittantur. Res vt cognitu pulchra est, ita admodum difficiliis explicatu.

58. Non ex personæ quæ apparet, conditione iudicium hoc sumi debet: vt si Deo ingrata, & peccatis obnoxia appareat; tum à malis sit Apparitio. Possunt nobis exhibere, & exhibent in somno peccatis obnoxios boni Angeli: quemadmodum & pios homines Angeli mali.

59. Nec ex eorum, quibus Apparitiones fiunt, probitate aut improbitate certa regula constitui potest; quasi cum probis boni tantum Angeli, cum improbis Spiritus nequam occupentur. Scimus sæpissimè probis hominibus à malis Spiritibus illusum esse: scimus etiam improbis, & infidelibus, diuinitus somnia immissa esse.

60. Nequit etiam iudicium sumi ex rerum, quæ cum his Apparitionibus coniunctæ sunt, qualitate: vt si boni alicuius speciem illæ præ se ferant, Apparitio bonis Angelis ascribenda sit; & tribuatur malis, si quid prauum, & iniquum contineant: quoniam, etsi à bonis Spiritibus nihil nisi bonum esse possit; à malis tamen, non mala tantum; sed etiam bona, quamuis insidiosè, & malitiosè semper offeruntur.

61. Sed neque ex modo, quo Apparitiones ipsæ fiunt id potest cognosci. Qua ratione Angeli boni, eadem & mali somnia suggerunt: nunc cum magna corporis, & animi motione, & horrore; nunc placidè, & summa cum quiete.

62. Sunt qui cum Iamblico ex tempore, quo Apparitiones in somnis fiunt, ipsarum authores cognosci putant: vt bonorum Angelorum sint, quæ aut primo, aut extremo somni tempore accidunt; quia scilicet tunc animus hominis aut nondum est cibi, potusque vaporibus occupatus, aut iam euanescente somno, vaporumque discussa caligine, ex illis sordibus emersus, purior est, & acrior ad diuinas illustrationes accipiendas. Verum his temporum legibus Deus, eiusque ministri Angeli non sunt astricti, nec oportunitate temporum ad operandum egent. Vbicunque vult, quandocunque vult, & quibuscunque vult, Deus sua somnia inspirat.

63. Sed tamen aliqua sunt haud obscura signa, quæ produnt quasdam Apparitiones esse à malis Spiritibus. Sunt quoque, quæ firma sunt argumenta, quod quædam bonorum Angelorum opera fiant.

64. Dubitare vix debemus Dœmonum opera fieri, in quibus Dœmonum opera disertis verbis expetitur. Tales sunt, quæ lasciuientibus puellis, ipsa D. Andreæ nocte accidunt; sed tum demum, postquam prius impias quasdam preces (in quibus sibi sponsum exhiberi

postulant) recitarunt, ac oratione absoluta in nomine diaboli ita incubuerunt, vt caput occupet in lecto, locum pedum & pedes capitis.

65. Probabiliter etiam credi potest à Dœmonibus missas esse, in quibus significantur res futuræ, aut occultæ, quarum cognitio non est ad vtilitatem, vel ipsius, cui Apparitiones, fiunt, vel aliorum, sed ad inanem curiosæ scientiæ ostentationem, aut ad malum aliquid fugiendum, aut bonum faciendum non confert. Hac enim ratione tentant hominum animos vana imbuere superstitione, & graui impietatis crimine obstringere.

66. Sic non temere creditur earum auctores Dœmones esse, in quibus sobrijs, castis, & religiosis viris, tetra, obscœna, & plena crudelitatis somnia contingunt. Propositum siquidem Dœmonibus est, impuris somnijs polluere dormientium corpora, vt ijs fœdatis animos expergiscentium quodammodo participes faciant. Quod si illud assequi nequeant, illud saltem curant, vt pios talibus visis contristando, perturbando, & affligendo, ad orationem, & charitatis officia, ad sacramentorum perceptionem, segniores frigidioresque reddant.

Cassi. collat. 22. p. 6.

67. Et hæc produnt, quæ à malis Spiritibus fiant. Duobus quoque modis deprehendi potest, quæ nam bonos Spiritus habent authores. Primò ex rerum dignitate, quæ in his Apparationibus reuelantur: scilicet si ea in somnis innotescant, quorum cognitio solius Dei concessu, & munere potest contingere: huiusmodi sunt arcana cordium, quæq; intimis animorum recessibus inclusa, ab omni penitus mortalium intelligentia oblitescunt: denique præcipua fidei nostræ mysteria, nulli, nisi Deo reuelante manifesta.

68. Deinde idem declaratur, interiori quadam animorum illuminatione, atq; commotione; qua Deus sic mentem illustrat, sic voluntatem afficit, sic hominem de fide, & authoritate eius Apparitionis certiorem facit, vt à bonis Spiritibus, ipsam proficisci, ita perspicuè cognoscant & iudicent, vt id sine vlla dubitatione credere & velit & debeat. Huc spectat quod B. Gregorius habet. Sancti viri, inquit, inter illusiones, atque reuelationes, ipsas visionnm voces, & imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens hominis cauta non esset, per deceptorem Spiritum, multis se vanitatibus immergeret; qui nonnunquam solet multa vera prædice. vt ad extremum valcat animam, ex vna aliqua falsitate laqueare. Ita B. Gregorius.

69. Atque ex his vtcunq; deprehendere licet, quænam à bonis, quænam etiam à malis Spiritibus Apparitiones fiant. Sed tamen quoniã regulæ hæ, omnibus locum non habent, de singulis definire, sintne à malis, vel bonis Spiritibus, temerarium est.

CA-

CAPVT V.

Explicantur rationes, cur in somno Spiritus exhibeant hominum imagines, & multa reuelent.

ALiud esse videtur, quod Spiritus mouet, vt hominum imagines repræsentent, & multa reuelent; aliud quod in somno, & dormientibus hæc faciant. Prioris rationes, haud difficulter ex Capite primo quis collegerit, Posterioris nunc inquirendæ sunt. 70.

71. Multas verò huius rei, atque magnas afferre possumus. Prima sit, quod habiliores tum sit animus, ad reuelationes capiendas. siquidem in vigilia, multis distrahitur occupationibus, grauibus distinetur curis, varijs impeditur negotijs. Per sensus item exteriores euocatur ad ea, quæ extra ipsum sunt: incertis etiam fluctuat deliberationibus; varijs affectibus æstuat. At in quiete ab omnibus his est liber, & vacuus: est sibi totus præsens, & præsto: sibi attendit, in se suas omnes vires & facultates collectas habet: quo fit vt facilius omnium, quæ extrinsecus obiecta sunt, sit capax. Ita Hipocrates.

72. Altera est, quod in his Apparitionibus Spiritus prorsus cupiant eos, quibus apparent, sibi acquiescere; & simpliciter potiùs credere ijs, quæ proponuntur, quam credendi causas curiosius inquirere, & expendere. Ad hoc vero plurimum valet somnus: quoniam in hoc animus hominis, res sibi obiectas, citra examen accipit. paratior est ad credendum. promptior est ad obsequendum.

73. Tertia est, quod (vt Arist. loquitur) omnis motus, quo animus dormientis extrinsecus pulsatur, & cietur; quamuis leuis sit, & exiguus; magnam tamen vim habeat ipsum commouendi, vehementer in ipsum imprimatur, atque altè in ipso inhæreat. quod cum Spiritibus hic propositum sit, noctis silentia quærunt. *In libello de diuinatione quæ fit ex somnijs.*

74. Licet his quartam adiungere, quod hac ratione ostendant Spiritus, quanto sint ipsi potentiores, atque efficatiores ad homines docendos, & erudiendos; quam quiuis alius homo: quippe homo hominem docere, nisi vigilantem, audientem & attendentem non potest; spiritus verò etiam altissimè dormientem, atque somniantem.

75. Addamus quintam. demonstrant sic Spiritus, se in hominum vires, atque facultates, haud paruum imperium, & efficacitatem habere; quando etiam nobis nō consentientibus, imò nihil minus cogitantibus; & hominum simulachra, in facultatibus nostris effingunt, & de mirabilibus rebus nos erudiunt.

76. Possumus quoque hinc discere (quæ sexta sit ratio) non vnum esse tantum discendi modum, quem Auerroes assignat, intermedijs scilicet sensibus, & diligenti ratiocinatione: etiam per somnia, sine sensuum opera, discursuque rationis, aut aliarum rerum antecedenti cogni-

cognitione, scientia comparatur, vt hæ in somno Apparitiones, & instructiones probant.

CAPVT VI.

Inquiritur an ijs, quæ per prodigiosus in somnis Apparitiones innotescunt, & mandantur; credendum sit, & obtemperndum.

77. DVo ferè ab ijs, qui prodigiosè in somnis apparent; fieri obseruamus. Aliquando eos quibus apparent, instruunt, & erudiunt, aliquando ad agendum aliquid impellũt. Vtriusque exempla submministrat caput I. huius Disputat: In priori quæritur, Vtrum erudientibus credere debeamus: in posteriori, Vtrum imperantibus obtemperare. Vtriq; quæstioni vna responsione nequit fieri satis. Nos primum quæ certa sunt, constituamus.

78. Certum est hominibus multa per somnium reuelata fuisse, quæ fide dignissima esse, euentus comprobauit. Afferimus ex aliqua, partim sacra, partim prophana. Sacra sunt sequentia. Didicit in somno Abraham, peregrinum fore semen suum in terra non sua, & affligendum annis quadringentis. Didicit Iacob terram in qua dormiebat, dandam suo semini, & per idem semen benedicendas omnes tribus terræ. Didicit Ioseph se omnibus fratribus præferendum. Didicit Pharao septem annorum annonæ abundantiam, & caritatem. Didicit Salomon placuisse Deo desiderium, quo præ omnibus postulauit sapientiam, atque prudentiam regendi Iudæorum gentem. Didicit Nabuchodonosor se ex hominum societate abijciendum, & cum brutis animantibus esse sibi viuendum. Didicit Daniel quæ futuris temporibus esse patraturus Deus. Didicit Iudas Machabæus, Deum fore suis conatibus, in debellandis populi hostibus præsentem.

Genes. 15.
Genes 28.
Genes. 22.
Genes. 41.
3. Reg. 3.
Daniel. 4.
2. Mach. 15.

79. His affinia sunt. Monetur in somnis pontifex Iudæorum Iaddus, bono sit animo, suosque copijs Alexandri aduentantibus territos, erigat, fore vt Deus ipsorum causam agat, & aduersus hostes protegat. Pater Heliæ prophetæ, eadem nocte, qua mater puerum in lucem edidit, vidit, viros niueis vestibus amictos; puerum salutare, & à matris vberibus auulso flammas, quæ sanctitatis, & fortitudinis futuræ erant argumenta, cibi loco ministrare Policarpus B. Ioannis discipulus puluinar, cui in dormiebat, in somno vidit comburi, & ibi pro Christo mortem oppetendam esse intellexit. Didimus Alexandrinus continuis precibus Deum obtestabatur; vt Iuliani Apostatæ persecutionem inhiberet: &, ecce, in somnis, per equos albos (quos sibi in aëre visus est videre curſitantes) fit certior occisum esse Iulianum. Gennadius Carthaginensis Medicus, cum de animarum immortalitate dubitaret, in somno veritatem rei, per eleganti forma iuuenem didicit, & credit: teste B. Augustino ad Aradium. Eiusdem Augustini est, quod sequitur. Pro certò (inquit) cum Mediolani essemus, audiuimus, quod

Fulgos. lib. 1. c. 5.
Epipha in vita Prophetarũ
Fulgos. lib. 1. c. 5.
Sozo. lib 6. c. 20.
Lib. de cura pro mortuis agenda c. 13.

cum

cum debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente à patre iam fuerat persolutum, contristari homo grauissimè cæpit, atque mirari, quod ei pater moriturus non dixerat, quid deberet; cum tamen fecisset testamentum. Anxio apparuit idem pater in somnis, vbi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento atque monstrato, iuuenis, non solum falsi debiti calumniam propulsauit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non acceperat, quando est persoluta pecunia. Ita Augusti. Martiano Imperatori apparuit in somnis Dominus, atque arcum Attilæ fractum esse demonstrauit. Nec vana fuit visio. Eadem enim nocte Attila in nuptijs crapulæ indulgens, erumpente de naribus sanguine, suffocatus est. *Sabell. lib. 9. c. 6.*

80. Sed nec prophana hîc exempla desiderantur. C. Grachus in somno à defuncti fratris imagine didicit, eodem sibi letho, quo ille discesserat, occumbendum. Non dubium fuisse somnium, res ipsa probauit. Vidit primum in somno, quod postmodum vigilans, Vxor Iulij Cæsaris, Calphurnia nocte, quam is vltimam in terris egit, maritum multis vulneribus confectum. Antonius Caracalla, paulo ante, quam à Martiale Tribuno militum, gladio confoderetur, habuit in somnis sibi assistentem cum gladio patrem, & mortem prædicentem. Efficax & illa quietis imago, quæ Cræsi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filijs, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præstantiorem, quem imperij successioni destinauerat, Athym existimauit ferro sibi ereptum. Itaque quidquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti; domi retentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum; id quoque amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus vtebatur; vetiti sunt proprius accedere. Necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper. Olympi montis culta & crebra cum agrestium strage vastaret; inusitatoque malo regium imploratũ esset auxilium; filius à patre extorsit, vt ad eum opprimendum mitteretur; eo quidem facilius, quod non dentis, sed ferri sæuitia in metu ponebatur. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiæ, lanceam petendæ feræ gratia missam, in eum detorsit: & quidem eam potissimum dextram nefariæ cædis crimine voluit aspergi, cui tutela filij à patre mandata erat. Hæc Valerius Maximus. Refert Alexander ab Alexandro de Cliente suo, quod cum secum in lecto dormientem haberet, grauissimos gemitus ediderit: interrogatus vero, cur fleret, responderit, visum sibi matrem defunctam efferri, & funerari. Notata dies somni; & paulo post aduenies nuncius, eadẽ ipsa mortẽ obijsse retulit. Hoc primum. *Cicero de diuinatione.* *Valer. l. 1. c. 7. Xiphilinus in Antonino.* *Lib. 1. §. 7. de somnijs Valerius.*

81. Secundo certũ est, multa per somnum imperata fuisse, quę vtiliter obseruata sunt; &, vel sine crimine, vel sine præsenti dampo, intermitti

Matth. 2. non potuerunt. Talia sunt, quod Abimelech dicitur, vt Abrahamo vxorem restituat: Quod Ioseph iubetur fugere in Aegyptum, vna cum
Matth. 2. coniuge Virgine Maria; & deinde rursum inde in Iudæã reuerti: Quod Magi admonentur, vt per aliam viam redeant in regionem suam. Sacra hæc sunt. Vnum addimus prophanum. Simonides, cum cadauer defuncti, ad littus repertum sepulturæ mandasset, in sequenti nocte
Cic. 1. de Diuinat. admonitus est in somnis, ne inceptum iter persequeretur: acquieuit visioni, atque vitam, cuius iacturam cæteri, qui se mari commiserant, fecerunt, seruauit. Hoc secundum.

82. Certum denique est, non omnibus somnijs acquiescendum, & obtemperandum esse. Plurima sunt inania, & ab omni ratione vacua, nec vlla fide digna. Docet id quotidiana experientia. Totas quotidie noctes somniamus; quotum verò quodque de somnijs verum euadit?

83. Idem ex causa, vnde somnia in phantasia accidunt, licet colligere. Quoniam Spiritus, qui phantasiæ, cuius est fingere somnia, seruiunt, in somno vaporibus cibi, potusque caput subeuntibus, agitati, varia reddunt visa, & somnia: sed valde in composita, sæpe etiam turbulenta, & distorta; talia denique, vt nullam vim significandi habere queant.

84. Itaque & diuina scriptura deridet vanitatem, & leuitatem eorum,
Eccle. cap. 4. qui somnijs credunt. Vbi multa somnia (inquit Ecclesiastes) plurimæ
Eccle. cap. 34. sunt vanitates, & innumeri sermones: Somnia dicitur alibi extollunt imprudentes: quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum; sic & qui attendit ad insomnia. Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

85. Nec hîc desunt exempla. Duo pro multis sufficiant. Primum est. Xerxes Darij F. Persarum Rex, bellum Græcis illaturus erat. Artabanus Hystaspis F. Xerxis patruus, vehementer obstitit. Verum vrgentibus fatis, bis idem somnium habuit Xerxes. Heroica specie, vidit virum, obiurgantem se, quod Græcis bellum inferre differret. Re cum Artabano communicata, Artabanum regijs vestibus indutum, in regio solio somnium capere coegit. Quid fit? Artabano eadem species ob oculos versata est. Itaque non minore studio, quam ante obstiterat, Xerxen ad Græciæ bellum inflammauit: sed delusus est; sic vrgente
Herodotus lib. 7. malo Xerxis fato: & insolentissimus Rex, suæ temeritatis, & superbiæ pœnas dedit. Alterum est. Dux Carthaginensium Amilcar, Siracusas obsidés, in somnis audire visus est se pridie intra obsessæ vrbis mœnia cænaturum. Ea ad victoriæ spem reflexa, manè alacris ad oppugnandam vrbem instruebat aciem. Talia molienti grauis tumultus in castris exortus est, Carthaginensibus, & Siculis inter se dissidentibus: Oppidani occasione freti, repente portas egrediuntur, & fusis hostibus victores, ducem turbatis suorum ordinibus succurrere cupientem, atque adeo negligentem sui interciunt, & in vrbem ducunt. Ibi
Cicero de Diuinat. lib. 1. ille in compedibus cænans, intellexit, quam fallus somni interpres fuisset.

86. Atque

86. Atque hæc certa sunt. Cum igitur omnibus somnijs, & Apparitionibus credere leuis sit animi: omnia etiam reijcere sit temerarij: quæritur quibusnam fides adhibenda; & quæ tanquam fide non digna reijcienda. Solutio huius ex authoribus somniorum petenda est: quibusdam enim horum credi potest, quibusdam non item.

87. Primum acquiescendum est omnibus quæ à bonis Spiritibus proficiscuntur. Cum enim hi salutis nostræ sint studiosissimi, & commodorum nostrorum admodum amantes; nec volent nobis imponere, falsa suggerendo; nec quippiam imperare, quod quouis modo incommodare possit.

88. Accedit, quod ea ipsorum conditio sit, vt decipere nequeant: siquidem beati sunt, & cum Deo summo Bono coniunctissimi. quapropter, quemadmodum illi, qui damnati sunt, nihil possunt facere boni, ita qui in numerum supernorum ciuium assumpti sunt, nihil possunt facere mali.

89. Sed & Dei ministros hic agunt. vnde & à Deo somnia hæc immissa dicuntur. At verò, vt Deus aut falsa suggerat, aut mala imperet, quis credat? Si verò, quæ suggerunt, vera sunt, merentur fidem: si bona, dignum, vt illa præstemus, & imperata faciamus.

90. At quæ à malis Spiritibus suggeruntur, contemnenda sunt omnia, siue instruant, siue quippiam mandent, & præcipiant. Quis hostibus credet? quis obtemperabit? Sed nostræ salutis hostes iuratissimi sunt dæmones: in omnibus nihil, nisi nostras calamitates, quærunt. 1. Petri 5.

91. Interim vera multa possunt prædicere, quemadmodum & sæpe multa prædicunt. Lateant eos Dei Opt. Max. consilia: lateant quæ ab hominum libera voluntate pendent: multa tamen, quæ humani ingenij solertia assequi nequit, in rerum causis, quas exactissimè norunt, intelligunt. Quid verò prohibet, cur minus, quod intelligunt, prædicant?

92. Quid, quod ea etiam, quæ à libero arbitrio pendent, prædicere conentur? Superbia admodum sunt spiritus mali: vix Deo volunt cedere: eandem sibi cum Deo gloriam cupiunt tribui: quo fit, vt etiam in his futuris prædicendis pares esse velint, atque diuinos honores hac ratione sibi conciliare.

93. Et licet in his hallucinentur, & errent sæpius Spiritus nequam; non rarò tamen veritatem assequuntur; propterea, quod haud paucas rationes habeant, quæ ipsis hîc seruire possint.

94. Primum omnium Deus iusto iudicio permittit haud rarò, vt à bonis Angelis mali Spiritus instruantur, & erudiantur; vt Scripturæ locis aliquot doceri potest. Quapropter quemadmodum illa boni Angeli, ita possunt prædicere nequam Spiritus.

95. Norunt deinde optimè, quæ olim Prophetæ atque sancti homines nostris temporibus euentura prædixerunt: quæ cum ab hominibus obseruata non sint, aut ex hominum memoria excidérint, illi verò eadem

dem retinuerint,& intellexerint;non mirum, si in his aperire veritatem videantur.

96. Tertio quædam diuina dispensatione agere permittuntur: at hæc, vt agere possunt, ita possunt prædicere. Quidni potuit diabolus hominibus mala prædicere, quæ Deo permittente, Iobo erat illaturus? Iob. 1.

97. Accedit quartum, quod sagacis, atque solertis sint ingenij Spiritus nequam. Longa experientia edocti, sciunt homines plerunque affectus suos atque passiones sequi. Itaque cum hos meliùs illi, quàm homines cognoscant, non infeliciter ex his sæpe de futuris coniectant.

98. Sed tamen quamuis hæc ita sint; nihilominus omnia, vt diximus quæ à Spiritibus his suggeruntur, contemnenda sunt. Non est illis Matth. 10. Doctoribus credendum; non præceptoribus obtemperandum. Nulla nobis cũ ipsis debet esse communio; nulla societas; commercium nullum. Id vel solo Domini exemplo discimus, qui etiam vera asserẽtibus, & ipsius gloriam atq; virtutem prædicantibus, silentium imperauit.

CAPVT VII.

Exemplis & rationibus docetur fieri posse, vt viui sub propria forma, præter rerum ordinem, siue prodigiosè, vigilantibus se exhibeant.

99. PRimum genus Apparitionum Prodigiosarum, quo se viuentes dormientibus exhibent, explicatum est; nunc secundum prosequamur, atque earum rationem, in quibus vigilantibus viui sub propria, & non peregrina forma, præter naturæ ordinem, appareant, exponamus.

100. Hic primum constituendum est, omnino tales Apparitiones dari, hoc est, viuos viuis prodigiosè, & præter naturæ ordinem aliquando apparere: atq; alijs locis conspici, alijs vero ipsos ἀντιπροσώπως esse. Neque enim ad has confirmandas desunt exempla; & si illa deessent, ratio cur ipsas fieri posse credere debeamus, & multa, & magna argumenta suppeditat.

101. Excluſimus superiùs ab hoc viuentium genere, de quo nunc sermo est, Eliam, & Ioannem Euangelistam: Sed tamen, si rectè ratiocinari voluerimus: vterque causam nostram probat. Nondum mortuus putatur Elias: viuit alicubi, Christi aduentum præsolans, & fidelium Luc. 9. causam, contra Antichristi conatus, susceptur us: & profecto cum in monte Thabor, non ἀντιπροσώπως cum Domino, (vt verisimile est) fuerit, non nisi prodigiosè, vna cum Moyse, à Christi Apostolis visus est.

102. Sic nec Apostolus Ioannes carnis sarcinam deposuit, vt quorundam sententia habet; sed tamen non sine miraculo se viuis vigilantibus exhibuit. Refert Nyssenus eundem apparuisse B. Gregorio Tau- in vita Grego. maturgo, in figura humana, facie & forma senili, ornatu, & compositione indumenti augustum quendam, sacrum & diuinum referentem,

tem, & magna gratia vultus, atq; dispositione figuræ præferentem virtutem: iussisse etiam Gregorio, metum deponeret, esset bono animo; adesse se, vt mysteria quædam fidei, in quibus intelligendis ille multum desudasset, explicaret; quod & fecit.

103. His tertium ex B. August. addimus. Is asserit fuisse quendam, qui domum philosophi cuiusdam accesserit, atque ab eodem aliquot difficultates sibi exponi postulauerit; Philosophum primum id constanter recusasse; sed tamen postea nocte prodigiosè apparuisse, omnesque difficultates exposuisse. Prodigiosæ Apparitionis hoc argumentum certissimum fuit; quod cum à philosopho postea quæsitum fuisset; cur in domo alterius fecerit, quod in propria petenti negauerat; Non feci, inquit, sed me fecisse somniaui. Non putat de hac re dubitandum esse B. Augustinus: quoniam: Hæc, inquit, ad nos non quibuscunque, qualibus credere putaremus indignum; sed ijs referentibus peruenerunt, quos nobis non existimaremus fuisse mentitos. *li. 18. de Ciuit.*

104. Volunt quidam hic locum habere aliud, ex eodem August. petitum, exemplum. Paulus quidam, Palladiæ, cuius supra meminimus, *Thesi 15.* frater, eodem, quo soror, tremore membrorum laborans, eodem quo soror recuperandæ salutis desiderio tenebatur. Huic, vt sorori, quamuis alibi degens, sæpius visus est B. August. veruntamen non in somno, sed vigilia. Sorori meæ (dicebat ipse B. Augustino) in visione Sanctitas tua in ea effigie, qua te nunc præsentes videmus, apparuit: & ego, addebat, Beatitudinem tuam sæpius postea videbam per alias ciuitates, in itinere, quo veniebamus, talem prorsus, qualem modo conspicio, & admonit euidenti auctoritate diuina, ad hanc venimus ciuitatem.

105. Benedictus quoque Abbas Placido puero apparuit adhuc viuus, eundemque vndis mirabiliter eripuit. Rem, vt gesta est, B. Gre- *lib. 2. dialog.* gorij verbis referimus. Quadam die, dum Venerabilis Benedictus in *c. 7.* cella consisteret, prædictus Placidus puer, Sancti viri monachus, ad hauriendam aquam de lacu egressus est: qui vas quod tenebat incautè in aqua submittens: ipse quoque cadendo secutus est. Hunc mox vnda rapuit: & pene ad vnius sagittæ cursum, eũ à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus hoc protinus agnouit, & Maurũ festinò vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquã perrexerat, in lacum cecidit, iamq; eum longius vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulata, atque percepta: ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq; vsq; ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit: eumq; per capillos tenens, cursu rapido redijt. Qui mox, vt terram tetegit, ad se reuersus, post tergũ respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnouit: & quod præsumere nõ potuisset; vt fieret, miratus extremuit factũ. Reuersus itaq; ad Patrem,

rem

rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis: sed illius obedientiæ deputare cœpit. At, contra Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seque conscium non esse in illa virtute, quia nescius fecisset. In hac itaque mutuæ humilitatis, & amica contentione accessit arbiter, qui ereptus est, puer: nam dicebat. Ego cum ex aqua traherer, super caput meum melotem Abbatis videbam, atq; ipsum me ex aquis educere considerabam.

106. Forte etiam ad propositũ facit, quod idem B. Grego. refert. Nauta quidam, Baraca nomine, cum Agathum Episcopum Panormitanum Romam veheret; vi tempestatis in mare deijcitur. Episcopus, vbi Osticam insulam venit, sacrificium pro anima nautæ, quem submersum existimabat, sacerdotem iubet offerre. Quid postea? Venit Romam Episcopus. obuiam habet nautam. percunctatus, quomodo viueret, quem submersum existimabat: In medio mari, inquit, me posito, quidam (quis dubitet sacerdotem celebrantem fuisse) apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit; quem mox, vt comedi, vires recepi: nec longè post, nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo excepit, & ad terram deduxit. Hæc audiens Episcopus requisiuit diem: atque illum ipsum fuisse reperit, quo pro eo presbyter in Ostica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolauit.

lib. 4. dialog. c. 57.

107. Omni exceptione maius est exemplum S. Nicolai Myrensis Episcopi. Nautæ quidam horrenda tempestate, furentique pelago prope absorpti; eius adhuc viuentis, & longè disiti auxilium implorarunt, quod intellexissent multos sæpe à summis fluminũ periculis Myrensis Episcopi patrocinio esse liberatos. Quid verò? Inclinante iam naui, & pelagus imbibente, oculis omnium manifestus adest Nicolaus: atque, Ecce, inquit, adsum, quem inuocatis: opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister adueni: simulque clauo, cernentibus cunctis, arrepto, nauim erigit, gubernatque: inde mare minaciter increpans, fluctus confestim sæuientesque procellas placat. Ita Leonardus Iustinianus patricius Venetus in vita S. Nicolai.

Apud Surium Tom. 6.

108. Quod sequitur, in vita S. Germani legitur. Cum cœnam in hospitio quodam vir sanctus sumpsisset, rursus videt mensam apparari. Interroganti causam respondetur mensam sterni pro mulieribus quibusdam, quæ suos nocte conuentus haberent. Expectat hospites Germanus: aduenium. vbi magnam multitudinem mensæ assidere conspexit, omnes adiurat, ne inde, nisi à se obtenta venia, discedant. Aduocat mox cunctos de familia: interrogat, norintne præsentes hospites. Illi, singulis inspectis, suas dicunt esse vicinas. Mittuntur statim ad singularum ædes, qui explorent, sintne singulæ in suis ædibus: vbi esse deprehenduntur, prodigiosa Apparitio & Dœmonis illusio patefacta est.

Petrus Binsfeld de Confes. Malef.

109 Neroni Imperatori caput suum auferendum obtulit Simon Magus, asserens fore, vt quamuis gladio carnificis auferatur, ipse nihilominus

minus tertio die viuus rursus appareat. Iubet caput auferri Imperator. pro mortuo habetur Magus. Sed ecce, tertio die cum summa Imperatoris admiratione apparet Simon. Non potuit putare Imperator, aut Lictor caput ablatum esse Simonis; nisi aliud à vero suo corpore oculis Imperatoris & Lictoris fuisset obiectum. *In vita Clementis Romani.*

110. Sed & viuos nostra ætate alio loco, quàm vbi ipsorum essent corpora; aut vbi ipsi reuera agerent, apparuisse docet experientia. Nouimus parochum, qui in pompa funebri, quam nocte vidit, inter alios Principem virum, qui tum forte dormiebat, conspexit, & agnouit: nec inanem fuisse visionem, effectus paulo post subsecutus probauit. Nouimus virginem, quæ quod coniugium adolescenti recusasset; magnas ab eodem (quamuis alibi ipse degeret) sustinuit molestias. Aderat nunc eidem, & grauiter reprehendebat; nunc reprehensione non contentus, verbera addebat. Somnium fortasse aut illusionem quis dixisset, nisi certissimum testimonium virgini hæc asserenti dedissent vibices, quas longo tempore in corpore circumtulit.

111. Hactenùs exempla. Ratio quoque atque experientia vrget, vt similes Apparitiones & posse accidere, & reuera accidere credere debeamus. Si defunctorum imagines sese hominum aspectibus possunt offerre; cur non poterunt viuorum? At defunctorum sæpe se obtulisse, tam est certum, quàm quod est certissimum. *Vide de Apparitio: Spirituũ.*

112. Olim reperti non sunt pauci, qui mortuorum Spiritus (qua arte id fiat postmodum docebitur) excitarunt, & spectandos exhibuerunt. Res quamuis certa sit, vno exemplo est illustranda, quod his verbis Zonaras refert. Vnus, inquit, ex Imperatoris (Basilij) filijs Constantinus, patri præ cæteris charus, ex morbo obijt: eius mortem grauiter ferens, omni consolatione repudiata, illum sibi viuentem offerri cupiebat. Fuit autem quidem monachus Theodorus, cognomento Sanctabarenus, Imperatori ob summam de eius virtute persuasionẽ, vt etiam miracula edere crederetur) familiares, idemq; metropolis Euchaitarum antistes. Is igitur fertur Imperatori defunctum filium ostendisse viuentem, cum effeciisset, vt Constantinus equo insidens Patri occurrere videretur: quem cum amplexus & deosculatus fuisset, non amplius vidit Imperator. Ita Zonaras. Si verò mortuorum imagines exhiberi possunt, quidni poterunt viuorum, quamuis absentium? *In vita Basilij Maced. tom. 3. Annal.*

113. Quid quòd & viuos longissimè à nobis disitos eadem arte euocari posse, & nostris temporibus euocatos esse; & se spectandos præbuisse, nunc in aqua, nunc in speculis, nunc etiam in externa, quę prorsus hominem referret, forma, doceri possit? Sed de harum Apparitionum veritate dubium nullum est. Ipsarum rationes & causas inquiramus.

CAPVT VIII.

Reijciuntur tres modi, quibus viui vigilantibus prodigiosè, sub propria forma, apparere putantur.

114. MOdus, quo prodigiosæ Apparitiones viuorum, sub proprijs formis extra somnum punt, & vigilantibus se præter naturę ordinem spectandos exhibent, alius atque alius, ab alijs assignatur. Sunt qui fiutent, vnum eundemq; hominem, secundum animam atque corpus, in diuersis locis vbi apparet, adesse. Volunt alij animam proprium corpus, quod soporari dicitur, ad tempus relinquere, atque in alio alibi apparere, ac deinde rursus ad suum redire. Sunt denique, qui alia, vera tamen; volunt corpora pro hoc vsu assumi; quę imagines, atque species hominum, quos repræsentant, referant. Omnes hi errare videntur.

Vide Greg. 2. dialog. ca. 22.

115. Qui vnum eundemque hominem, anima simul & corpore, in locis, vbi apparet, adesse dicunt; necesse habent asserere, vnum idemque corpus sub propria etiam atque naturali forma, diuersis locis posse consistere. Vt vt id sit, certum hoc est, non in omnibus hisce Apparitionibus eos, qui apparent, in propria persona, secundum animam scilicet & corpus, adesse.

116. Quod dicimus, vel in ijs manifestum est, quæ Incantatorum & Magorum opera, in aqua fiunt, aut speculis: Hic enim præter nudam formam, si quid exhibetur, profecto non ipsius, qui exhibetur, aut corpus adest, aut anima, ne corpus dicam atque animam simul.

117. Sed neque hoc obscurum est in cæteris. Qui alijs locis, quàm vbi versantur, exhibentur, sæpè se exhiberi ignorant, aut nō nisi per somnium affuisse existimant: Si verò vbicunque apparent, & animo sunt præsentes, & corpore, qua ratione se præsentes esse ignorare possunt? Iidem quoque, mox vbi munia sua executi sunt, disparere dicuntur: at si verè in proprijs corporibus, vnà cum anima semper præsentes sunt, an ita subitò ex aliorum se oculis subducere dici debent?

118. Affuisse etiam quidam alijs dicuntur in aquis, vt superioribus exemplis demonstratum est: quomodo autem, si in proprijs corporibus, ijs, quibus apparuerunt, visi sunt, & affuerunt, quomodo, inquam, ab aquis nihil sunt passi?

119. Accedit, quod nec sine Dei virtute hę Apparitiones fierent. quid verò opus est Dei virtutem in hac re postulare? Quantum facerent Apparitiones, in quibus secundum corpus, & animam homines in diuersis locis apparerent, tantum efficerent, quę sola Angelorū opera, sine proprijs eorum, qui apparent, corporibus fiunt, vt ex Dei Apparitionibus clarum est. quocirca, quemadmodum nunquam Deus ἀυτοπροσώπως apparet, ita necesse non est secundum animam & corpus adesse, qui se spectandos exhibent. Atque sic primorum error demonstratus sit.

Vide de Apparit. Spirit.

Se-

120. Secundum error non simplex, sed multiplex est. Primùm in eo errant, quod arbitrentur animam à corpore ad tempus discedere, absque eo, quod homo, cuius anima emigrat, mori dicatur. Nihil aliud mors est, quàm animæ à corpore separatio: quocirca non nisi interueniente morte, anima corpus relinquere potest.

121. Secundo errant, quòd eandem animam aliud corpus ingredi, in illo se exhibere, atq; munia & officia obire arbitrantur. Iam olim opinio hæc in veteribus Philosophis reprehensa & damnata est.

122. Errant tertiò, quod illam ipsam animam ad suum corpus tandem redire existimant. Quemadmodum aliud corpus, non nisi diuina virtute informare potest; ita non, nisi diuina virtute, potest ad proprium redire; quis verò diuinam hîc virtutem postulauerit?

123. Hinc sequitur vehementer decipi eos, qui, cum Sagas, post certas vnctiones adhibitas, cernunt, ita sensibus destitui; vt nec verberibus, nec adhibito igne excitari valeant, prorsusque mortuis similes sint; earum tum putant animas è corpore migrare, atque ijs rebus, quas post excitate, referre solent, reipsa interfuisse. Nunquam à corpore anima discedit: nunquam, postquam semel discesit, ad corpus redit. Quapropter nec tum rebus, quibus interesse sibi videntur, reipsa interfunt miserę mulieres. quidquid conspiciunt, id in corpore existens Spiritus conspicit, dœmone sic ipsos fascinante, & illudente.

124. Hos errores hîc annotasse sufficerit: alias, quantum cum vera philosophia pugnent, demonstrabitur. Vna ratio est, quæ huius sententiæ authoribus suffragari videtur; si plures in vno eodemque corpore animæ constituantur. Ita enim fieri poterit, vt ex his vna proprium corpus ad tempus deserat, atq; aliud ingrediatur; cæteris prius, ne ocaidat, conseruantibus.

125. Verum siue vna, siue plures in eodem corpore constituantur animæ; parum præsidij inuenitur: si quid inuenitur, hoc solum est, quod non necesse sit affirmare prius corpus, quod anima informabat, occidere: Sed magnæ adhuc restant difficultates, negari non potest vnam eandemque animam corpus deserere: eandem corpus aliud ingredi: eandem rursum ad suum proprium redire, quàm verò hæc sunt noua?

126. Sed neque dici debet plures in vno corpore animas esse. Cum enim Deus atque natura nihil frustra fecerint, vna vero atque simplici anima homo instructus, possit quascunque necesse est, operationes exercere; quid opus est plures eidem communicare?

127. Deinde occidat homo, atque hanc vitam deserat: si plures sunt, quæ corpus informabant, animæ; vbi, quæso, quæ præter rationalem sunt, in ipso accasu manent? An quemadmodum rationalis, quæ dicitur, per se; ita quoque cęteræ extra corpus subsistent? cui verò hoc, vel per somnium in mentem venit? An rationali discedente cæteræ manent in corpore? At mortuum dicitur corpus, & inanime, id est, sine anima. necesse igitur est intereant. verùm id nõ rectè dici, vel solius

Christi à mortuis resurgentis exemplum probat. Si enim reliquas ipsius animas, cum rationalis à corpore separata, ad inferos descendit, desijsse dicamus; profecto non totus, quantus quantus ante mortem fuit, à mortuis resurrexit; quia plures animas per morté reliquit; vnam verò tantum, ad vitam reuocatus, rationalem assumpsit.

128. Sed tertiam sententiam expendamus, eorum, scilicet, qui alia veruntamen vera, corpora concedunt, quæ speciem, atque formam eorum, quæ repræsentant, referunt. Probabilius quidem hi, quàm cæteri loquuntur, sed tamen non prorsus verè. In multis eorum assertio exceptionem habet.

129. Quam sunt multæ, Apparitiones, vbi corpus nullum inuenitur? vbi tantum sensibus hominum figuræ, & imagines repræsentãtur? vbi præter nudam speciem, quæ se sensibus ingerit, est nihil: nulla vis, nullus motus, nulla operatio?

130. Deinde, quæ aliunde assumuntur, & substituuntur corpora; non possunt subitò illos, ad quos repræsentandos assumpta sunt, exhibere; cum alias ipsa formas habeant: at quę hîc adhibentur, nisi prorsus eos, quos repræsentant, exhibeant; frustra assumpta iudicantur.

131. Experientia edocti sumus, illos qui præsentes nobis in his prodigiosis Apparitionibus visi sunt: vbi munia sua fuerunt executi, ex oculis mox euanuisse, atque ijs ipsis locis, vbi conspiciebantur, disparuisse: qua verò ratione id fieri dicent, qui vera volunt esse, quæ hîc conspiciuntur corpora?

132. Quærimus etiam, cuiusnam virtute, & viribus, hæc, quæ his vsibus accommodari dicuntur corpora, assumuntur, & ad loca vbi eorum vsus esse debet, transferuntur? vt illi ipsi transferant, quorum per hæc imagines referuntur, nullus sanæ mentis dixerit: Spiritus igitur alicuius opera hîc erit necessaria. At illi, qualiscunque tandem sit, tam facile est in non assumptis, quàm assumptis corporibus, quoscunq; repræsentare.

CAPVT IX.

Explicantur varij & veri modi, quibus vini prodigiosè se vigilantibus exhibent, sub propria forma.

133. ALiorum sententias discussimus, & reliquimus: vera nunc, quam putamus, exponenda est. Neque enim tam nobis propositum est in hac Disputatione scire, quanam ratione non fiant hæ Apparitiones, quàm modum, quo fiant, cognoscere.

134. Id inprimis certum existimamus, eos, qui extra somnum, alijs locis quàm vbi agunt, apparent, nunquam ἀυτοπροσώπως ijs locis adesse. Præcipua huius causa est, quod cur contrarium admittere debeamus, nulla nos ratio cogat.

135. Hinc sequitur, nec ipsorum in his Apparitionibus propria ades-

Hinc

se corpora, nec propriam animam. Cùm enim indiuiduum sit, quamdiu homo viuit, inter corpus & animam vinculum: fieri nequit, vt aut alicubi sit corpus absque anima, aut alicubi anima absque corpore.

136. Rationi quoque consentaneum existimamus, non vera esse, quæ in his Apparitionibus conspiciuntur, corpora, verbi gratia, defunctorum aliquorum, quos Spiritus (quorum hîc non postrema est opera) assumunt, & suis vsibus accommodant: Nõ quod hæc assumere non valeant; sed quia nec ratio, cur id fateri necesse sit, vrgeat; nec illa ita commodè his vsibus seruire possint. *Vide Cæsariũ li. 12. c. 2. et 4*

137. Quod si igitur corpora sunt, quæ conspiciuntur; ex aëre illa oportet sint compacta; idque virtute Spirituum, nunc bonorum, nunc malorum, quorum magna est in elementa, atque hæc inferiora potestas.

138. Et profectò talia corpora formari, assumi, atque his vsibus accommodari, negari vix potest. Neque enim tantùm sensus nostri nobis persuadent corpora quædam esse, quæ conspiciuntur; etiam, quæ per illa fiunt, operationes id probant. Tales illæ quandoque sunt, (quemadmodum ex supradictis exemplis manifestum est) vt non sine corporum ministerio fieri posse videantur.

139. Quia verò ex aëre condensantur hæc corpora, & solùm in hunc finem assumuntur, vt homines repræsentent; hinc neque viua sunt, neque vllum viuentis munus obeunt: sed nec eandem cum viuis hominum corporibus conditionem atque constitutionem necessario habent.

140. Hæc prima harum Apparitionum ratio. sæpè etiam hic nulla sunt corpora, nec viua eorum qui apparent; nec aliunde assumpta; nec ex elementis condensata: sed tota Apparitio nudis imaginibus, & simulachris absoluitur. Hoc quoniã superiori Capite demonstratum est, hîc repeti non debet.

141. Imagines verò hæ, vel in sensibus tantum sunt hominum: vt illæ, quę, pręter id, quod habet in sensibus, nullum habent esse; vel etiam extra sensus in obiecto sensibus corpore sunt, aëre scilicet aut aqua.

142. Sensus, qui his Apparitionibus deseruiunt, duplices sunt; interiores, & exteriores. Vtrique rerum speciebus ita informari possunt; vt quamuis extra ipsos obiectum nullum sit, quod ad agendum moueat; functiones tamen suas exercere valeant, non minus, quam dum ipsa etiam obiecta concurrunt. *Thomas 1. p. q. 3. a. 4.*

143. Prompiiores hîc sunt interiores sensus, exteriores paulo difficiliores. id vel somnia, siue imagines rerum, quæ dormientes terrent & perturbant, demonstrant: ob quam etiam causam quidam, (quamuis non ita verè) plures harum Apparitionum, interiorum, quam exteriorum sensuum iudicio accidere existimauerunt.

144. Interim tamẽ interiores sensus suas species, ad exteriores quandoque remittunt, tantamque in ipsos impressionem faciunt; vt quod

reuera corpus præsens non est, præsens esse, atque oculis omnino conspici videatur.

145. Sic quando in exterioribus primum species recipiuntur, mox ad interiores aliæ ab ipsis,, & ex ipsis productæ, transmittuntur: atque ita fit, vt de veritate rerum apparentium minus dubitetur, quando Apparitioni non vnus, sed plures sensus suffragantur, &, vt ita dicam, testimonium præbent.

146. Ex dictis concludimus duos esse præcipuos modos, quibus hæ Apparitiones fieri possunt. alter est, per formata ex aëre corpora; alter, per species seu imagines rerum. Vtroque possunt fieri: vtro semper fiant, difficile est definire, propterea, quod sæpè sensus persuadeat præsens aliquod corp⁹ esse, quãdo corporis nil nisi vmbra & imago est.

147. Et quamuis vtroque fieri possint, & fiant, frequentius tamẽ per imagines atque species rerum fieri dixerim, quam per corpora. quid enim? an ad repræsentandum viuos corpora necessaria sunt? an ad operationes, que in his Apparitionibus fieri debent? Ad repræsentandum viuos rerum species & simulachra sufficiunt: operationes non corporum auxilio aut opera egent, vt quæ vna & sola Spirituum vi & potestate absoluuntur.

CAPVT X.

Docetur quorum opera fiant prodigiosæ Apparitiones, in quibus viui vigilantibus adsunt sub propria forma & specie; & plerunque viuos ignorare, quod appareant.

148. CAusam efficientem harum Apparitionum non nisi vel eos, qui apparent, vel Angelos siue Spiritus rectè videmur assignare posse. Vtrum verò horum dici debeat, inquirendum est.

149. Qui apparent nullo modo suarum Apparitionum causa sunt. Hoc ex modo, quo Apparitiones fieri diximus, licet colligere. Cum enim hîc vel corpora quædam ex aëre formentur; vel sensus quibusdam imaginibus externis, in aqua, aut aëre fabrefactis, immutentur, vel in ipsos sensus præter vllorum externorum simulachrorum subsidium, species rerum imprimantur, sicque homines repræsententur: hæc verò qui apparent efficere nequeant, profecto nec ipsi se alijs atq; alij locis exhibere poterunt.

150. Spirituum igitur, quæcunque Apparitiones fiunt, opera fiunt. Illi aërem condensant, & corpora quædam nostris similima effingunt: illi imagines hominum in aqua aut aëre efformant: illi rerum similitudines in sensus tam exteriores, quam interiores imprimunt.

151. At, quorum Spirituum, dicet quis, opera hæc fiunt? Bonorumúe an malorum. Respondemus & bonorum & malorum. Vtrorumque æqualis ad has Apparitiones exhibendas, potentia est, quamuis vtrorumq; non idem finis & propositum. Cùm enim viribus naturæ, quid-

quid

quid hic fit, agant Spiritus; fit, vt malis non obsit, quod à Dei gratia exciderint, & in inferno pœnas luant; cum suæ ipsis integræ manserint vires naturæ: nec plus possint aut potentiores sint boni; cùm ad has Apparitiones nihil aut gratia, aut fælicior ipsorum status conferat.

152. Quia igitur in his Apparitionibus præcipuæ sunt partes Spirituum; eorum autem, qui repræsentantur, nullum officium aliud, quàm quod repræsententur; hinc est, vt dici non debeat, ipsos ijs locis, vbi repræsentantur necessariò ἀυτοπροσώπως adesse, quemadmodum necessarium non est, vt sint, vbi ipsorum sunt, quas penicillus formauit, imagines.

153. Quid, quod etiam ipsi, qui exhibentur, plerunq; se exhiberi ignorent? Norint aliquando, opera Spirituum, qui hîc operas suas accommodant; sed tamen frequentiùs ignorant, & quod exhibentur, & causas ob quas exhibentur.

154. Si qui sunt, quibus suæ prodigiosæ Apparitiones constant, illi sunt; qui cum dæmonibus pactum inierunt, & certis temporibus, cum perditis hominibus conuentus agere soliti sunt. His siquidem, quamuis domo pedem aliquando non extulerint (nam aliquando efferre certum est) dæmon illudere solet; vt omnino se alijs, quàm vbi agunt locis, adfuisse putent.

155. Possunt & suæ illis constare, qui dæmones habent familiares, atque ijs solent imperare. Quemadmodum hi pro sua voluntate obsequentes habent; ita scire possunt, sua ibi simulachra exhiberi, vbi illi dæmonibus, vt exhibeant, imperant.

CAPVT XI.

Ostenditur quando hæ prodigiosæ Apparitiones à bonis, & quando à malis Spiritibus fiunt.

QVia tam boni, quàm mali Spiritus, hîc operas suas collocant, vt iam dictum est: atque vtrorumque æqua potestas est: quasnam Apparitiones boni, & quas mali Spiritus efficiant, inquiramus.

157. Errant, qui omnes illas, in quibus probi atque iusti exhibentur, credunt bonorum Spirituum opera fieri: quemadmodum à malis Spiritibus esse volunt, quotiescunque sensibus nostris improbi, atque iniusti obijciuntur. Errant inquã, quia & mali Spiritus possunt bonos; & boni Spiritus possunt malos repræsentare; & haud rarò repræsentant.

158. Errant, qui ex conditione personarum, quibus Apparitiones fiunt, iudicium sumunt; illasq; opera diaboli fieri existimant, quæ impijs fiunt & sceleratis: illas verò per bonos Spiritus; quæ pijs exhibentur. Sæpe pijs illudunt dæmones: sæpe in hoc negotio, quemadmodum & in alijs, boni angeli improbis, & discolis deseruiunt.

159. Sed tamen ex duobus fere, quæ à malis Spiritibus fiunt, cognoscitur; ex fine videlicet, atque modo, quo viui exhibentur.

160. Vbi

160. Vbi nullus Apparitionum fructus est; sed vel Dei honor lęditur, vel hominum salus in discrimen adducitur, vel quorundam tantùm curiositati seruitur; illas non bonorum sed malorum Spirituum opera fieri, nemo malè dixerit.

161. Sic quæ incantationibus, aut adiurationibus in aëre, aut aqua viuorum simulachra & imagines producuntur, dæmonum sunt opera. Boni Spiritus incantationibus aut adiurationibus ab hominibus cogi non possunt: mali quamuis cogi non possint, cogi tamen se simulant, vt tantò facilius incautos decipiant.

162. Ex his, quæ à bonis Spiritibus Apparitiones fiunt, licebit conijcere. In quibus enim incantationes, aut adiurationes nõ interueniunt; & quæ ad Dei gloriam, hominumque salutem faciunt; in quibus item nihil est otiosum aut curiosum: has sine temeritatis nota bonis angelis asscribere possumus.

163. Quæ cum ita sint, difficile non est definire, quænam ex ijs, quas Capite septimo retulimus, bonis Angelis tribuendæ sint, & quæ malis. Propositus erat Christi honor in ea, qua Apostolis exhibitus est Aelias. Ad Sanctorum gloriam faciebant illæ SS. Ioannis Apostoli, Augustini, Benedicti, atque Nicolai. Commendabat sacrificium altaris illa Sacerdotis nautæ Baracæ facta: non dubium igitur, quin bonorum Angelorum opera, omnes hæ factæ sint.

164. Sic certum est à Spiritibus malis exhibitas esse mulieres, quas in hospitio deprehendit S. Germanus: eorundem opera exhibitus est Simon Magus, cum caput Lictori offerret abscindendum: eorundem adolescens, qui virgini, qua potiri nequiuit, molestus fuit. Neq; enim illæ, ad Dei faciebant gloriam, neque salutem eorum, qui aut exhibebantur, aut quibus ipsæ Apparitiones fiebant, promouebant.

165. Porro cum his posterioribus grauissimum sæpè peccatum coniunctum est, nõ tàm eorum, qui in his exhibentur, quam quorum opera ipsæ Apparitiones fiunt, & qui has sibi fieri desiderant: quemcunq; etiam sibi finem, propositum habeant.

166. Nulla ratione licet, ob nullum finem licet aut has Apparitiones procurare, aut ijs interesse: propterea, quod omne nobis cum Dæmonibus, quorum studio ipsæ fiunt, commertium interdictum sit, & nulla filijs Lucis, cum authore tenebrarum debeat esse societas.

167. Et quamuis tam hi, qui ipsas Apparitiones procurant; quam qui sibi à Magis & Incantatoribus fieri expetunt, peccent, priorũm tamen peccatum grauius est: maiori etiam illi in discrimine salutis versantur, quoniam vt Dæmones obsequentes haberent, & his artibus possent euocare, eorumque opera vti, iam ante se Dæmonibus tradiderunt.

CAPVT

CAPVT XII.

Docetur, qui sunt fines eorum, qui horum prodigiosarum Apparitionum authores sunt; & quæ eorum, qui in his exhibentur, functiones & officia.

QVoniam in his Apparitionibus alij sunt, qui exhibent homines, & Apparitionum authores fuat; alij qui exhibentur, & repræsentantur, idcirco quidam alios constituunt fines eorum, qui Apparitionum sunt causa, alios hominum, qui apparent. 168.

169. Attamen propriè eorum, qui exhibentur fines hîc nulli sunt, sed eorum tantum, qui Apparitionum sunt authores. Cum enim efficientium causarum sit, proposito fine agere, hîc vero qui exhibentur, agant nihil, sed omnia à Spiritibus, qui Apparitionum sunt authores, proficiscantur, non oportet hîc alios, quam qui ipsorum Spirituum sunt, fines inuestigemus.

170. Habent interim qui exhibentur suas functiones, & officia. Quocirca non abs re fecerimus, si quando fines Apparitionum assignamus, etiam de officijs eorum, qui apparent, pauca quædam dixerimus.

171. Porro officia certa non sunt. quæcunque nos ipsi, si ἀνθρωπόπους præsentes essemus, præstaremus, eadem propemodum omnia per imagines & simulachra eorum, qui in his prodigiosis Apparitionibus exhibentur, fiunt, aut certè fieri possunt.

172. Atque hinc est, quòd in supradictis exemplis, & multa & varia admodum ab ijs, qui prodigiosè apparuerunt, præstita legamus. Alios illi instruxerunt: alios, vt auxilium Sanctorum implorarent, admonuerunt: alijs in periculis constitutis auxiliatrices manus præbuerũt. Sunt quoque qui libidini suæ satisfecerunt. sunt qui alijs detrimenta, & damna attulerunt. sunt denique, qui hoc tantùm nomine apparuerunt, vt se spectandos exhiberent.

173. Sed tamen propriè hæc eorum, qui apparent, offficia & functiones non fuerunt: fuerunt exercitia Spirituum. Neque enim ipsi, qui exhibentur præsentes sunt: quare nec propriè agere dicendi sunt. quemadmodum Apparitiones, ita quoq; hæc officia & functiones ipsis Spiritibus, qui Apparitionum causa exiſtunt, asscribenda sunt.

174. Sic nec vitalia, aut viuentium hæc opera dici debent. Quamuis enim à viuente Spiritu efficiantur, non tamen in corpore fiunt, cum quo ipse Spiritus, tanquam cum corpore anima, coniunctus est. Hæc de officijs breuiter.

175. Finis Spirituum in his Apparitionibus duplex esse videtur, alius proximus, alius remotus. Proximus sunt illa ipsa opera, quæ fiunt: remotus quæcunque Spiritus primùm impellunt, vt hæc ipsa opera faciant, & exhibeant.

176. Et quia proximus finis ab ipsis functionibus, atque officijs, quæ exhibentur, non differt; de officijs verò iam dictum est; remoti fines, qui ipsos Spiritus ad has Apparitiones mouent, inquirendi sunt.

177. Porro hîc aliud bonis, aliud malis Spiritibus propositum est. Boni in his Apparitionibus id præcipuè quærere videntur, vt virtus eorum, quos ipsi exhibent, innotescat; atque ob id in honore, & reuerentia habeantur. Exemplo sit, inter alios, S. Ioannes Euangelista B. Gregorio Taumaturgo exhibitus.

178. Esto non desint Deo varij, quibus Sanctorum honorem atq; cultum promoueat, modi; sed tamen hunc non negligendum putat. Sic enim fit, vt cum tot rationes, quibus suorum honorem Deus promoueat, cognoscant mortales; omnino intelligant sibi venerandos esse, atque in honore habendos, quorum tot rationibus ille reuerentiam vrget.

179. Deinde, hæc res ad diuini nominis atque adeo sacrorum mysteriorum facit æstimationem. Quando enim (vt rem exemplo illustremus) ad Sacrificium Missæ, quod pro Baraca naufragium passo Episcopus Panormitanus offerri voluit, ipse qui celebrat sacerdos adesse visus est Baracæ, ipsique panem porrigere, quo confirmatus, illæsus euasit; quis non intelligit Sacrificij magnas vires esse?

180. Atque hi bonorum Spirituum fines esse videntur præcipui. Malorum sunt alij, atque alij. Primùm eos superbia vehementer stimulat. Ne enim minus posse videantur bonis illis Spiritibus, quæcunque illi præstant, illa isti effingunt, atque æmulantur.

181. Deinde magnam sibi hac ratione apud eos, quibus illudunt, opinionem comparant: ideoque fit, vt facilime & à Deo auertant (quod præcipuum ipsorum studium est) & ad sua castra, cum grauissimo salutis detrimento, miseros mortales pertrahant.

182. Sunt denique infirmitatis ipsorum (quam callidè dissimulant nequam Spiritus) hæc argumenta: tunc scilicet, quando adiurati per Incantatores, quos vocant, viuorum (sicut & mortuorum) imagines exhibent. Non enim hominum incantationibus coguntur Spiritus: cogi se simulant, vt cogentes perdant.

CAPVT XIII.

Ostenditur non omnes illas Sagarum & Maleficorum Apparitiones, quibus in nocturnis conuentibus conspiciuntur, esse prodigiosas; sed sæpe ipsos αὐτοπροσώπως adesse.

183. AD hoc genus prodigiosarum Apparitionum, de quo præsens Disputatio est, dubium non est illas referri, quibus Sagæ & Malefici nocturnis conuentibus exhibentur ijs locis, vbi aliquando non ipsi per se, sed ipsorum tantùm imagines & simulachra sunt. De his verò duplex est, cui breuiter respondebitur, quæstio.

quæstio. prima quæritur. Vtrum omnes illorum Apparitiones, dum præsentes conspiciuntur, sint prodigiosæ; ita, vt reuera non ipsi, sed ipsorum tantùm imagines adsint; altera, An quicunque in his prodigiosis Apparitionibus exhibentur; in suspicionem maleficij iustè veniant, & ex Maleficorum sint secta.

184. In priori quæstione hoc constituimus, contingere quandoque, vt ἀντιπροσώπως non adsint Malefici; adesse tamen sibi ijs conuentibus omnino videantur, dæmonibus ipsis illudentibus, & rerum, quæ gestę videntur, species ita in ipsorum phantasiam imprimentibus, vt aliud, quàm quod reuera præsentes affuerint, persuadere sibi vix posse videantur. *habetur 26. q. 5. ca. Episcopi.*

185. Verum, hac assertione non contenti quidam, omnes omnino has Apparitiones in Prodigiosarum numero ponunt: in nullis volunt adesse eos, qui repræsentantur: in omnibus aliud nihil, nisi opus dæmonum homines exhibentium & fascinantium admittunt.

186. Sed quæso, quam ob causam? An quia hæc res ex eorum est genere, quæ fieri nequeunt? an quia exemplis demonstrari non potest, verè mulieres & Maleficos de loco ad locum transferri, & ad dictos conuentus adduci? Vtrumque discutiamus.

187. Fieri posse, extra omnem est controuersiam. Tanta est dęmonum in corpora potestas; vt quocunque velint; possint impellere. quocirca & homines ex vno in alium locum transferre posse, negari non debet.

188. Non minores ipsorum sunt vires in hoc rerum genere, quàm bonorum Spirituum. Cùm verò hi quosdam transtulerint; vt exempla Abacuc, Philippi, atque Eliæ probant; cur hanc potestatem dæmonibus negamus? *Dan 14. Act. 8. 4. Reg. 2.*

189. Quid, quod in hoc causa grauissimum testimonium præbent literæ sacræ? Christum à diabolo tentatum norunt omnes. norunt omnes nunc ex deserto in pinnaculum templi, nunc ex pinnaculo in altissimum montem translatum esse. Quod vero in Dominum potuit diabolus; non poterit in mulierculas, & sordidos quosdam homines; qui se totos illi deuouerunt? *Matth. 4.*

190. Res hęc in controuersiam vocari non debet. Non eorum solùm; qui transferuntur testimonio (quos fortè illudi quis dixerit) has translationes fieri certum est; verùm etiam illorum, qui nullum cum dæmone pactum habuerunt, & tamen similibus conuentibus aliquando affuerunt, & reuera ἀντιπροσώπως adesse, quos conspexerunt, magnis argumentis didicerunt.

191. Nec hîc exempla desunt. Refert Alphonsus à Castro, anno 1526. non procul ab vrbe Roma Rustico fuisse; qui cùm nocte vxorem suam, post vnctiones, nescio quas, subitò ex oculis disparere percepisset, nec domi suæ quæsitam inuenisset; altero die tandiu verberibus eandem vrsit, donec, quod res erat, confessa, se nocturnis quibusdam conuentibus, ad quos beneficio vnguenti translata esset, interfuisse dixisset. *lib. 1. de iusta Hæret. punit. cap. 16.*

Negat vxori fidem Rusticus: vult suo exemplo de tota re fieri certior. Vxori placet viri propositum; veruntamen monet, vt à Dei nomine, toto tempore, quo conuentus agitur, abstineat. Indicta igitur die cum vxore post consuetas vnctiones ad Maleficorum cætum aduolat maritus. fit omnium quæ geruntur spectator: honoris qui diabolo exhibetur; saltationum, nefandorum congressuum &c. adhibitus est quoque cum alijs instructæ mensæ. Hîc dum salem, qui in mensa deerat, vrget & obtinet, præcepti vxoris immemor, in hæc verba, Laus Deo, pro consuetudine prorumpit: &, ecce, mox turba omnis euanuit, & solus relinquitur Rusticus: qui post octo dierum iter tandem domum reuertit. Simile huic est, quod de Lucretia quadam idem author refert. Cùm in hac domum reuehenda diabolus occupatur, contingit signo campanæ populum ad orationem excitari: bombum æris non ferens diabolus mulierem in medio itinere relinquit. Illa à quodam iuuene in agro deprehensa & agnita; accepta silentij fide, rem totam iuueni exponit. Verùm iuuenis promissi immemor, factum post aliquot annos reuelat. Hinc quæstionibus mulier subiecta, vt iuueni priùs, ita postmodum Magistratui, hanc corporum translationem fieri posse demonstrauit. Plura exempla addere necesse non est, cùm infinita propemodum nostra ætas suppeditet.

CAPVT XIIII.

Docetur eos in vehementem suspicionem Maleficij venire, qui in nocturnis Sagarum conuentibus prodigiosè apparent.

192. PRimæ quæstioni satisfactum est: nunc secundę respondetur. hac quęritur, Vtrum in dictis cõuentibus exhibeantur quandoque à dæmonibus alij, quàm qui cum ipsis pactum habent, & de secta sunt Maleficorum: hoc est, Vtrum innocentium & proborum hominum imagines & simulachra pro dæmonum voluntate offerri valeant.

193. Innocentes & probos extra dictos conuentus à dæmonibus aliquando exhiberi dubium non est. Testantur id imagines Sanctorum hominum, quos Hydromantici in aquis ostendunt. Testatur imago Samuelis, quàm quidam non sine ratione dæmonum opera volunt esse adductam. Testatur illa Christi, quæ B. Martino apparuisse legitur. & notum est illud Apostoli Pauli, etiam in angelum lucis se aliquando Satanam transformare.

1. Reg. 28.
Sulp. in vita Martini.
2. Corinth. 11.

194. Quemadmodum verò hoc extra controuersiam est; ita disputationem magnam habet, quod hic in quæstionem vocatur: An etiam in dictis Sagarum conuentibus Innocentes repræsententur, & ij, quibus, si ob Maleficij suspicionem quæstionibus subijcerentur, summa iniuria fieret. Huic modò respondendum est.

195. Ego verò existimauerim hic vel attendendum esse, quantum dæmones

mones viribus suis possint; vel quantum ipsis à Deo agere permittatur. Neque enim semper quantum per se possunt, agere permittuntur; quemadmodum neque semper, quæ naturæ viribus valent intelligere & cognoscere, cognoscere permittuntur: iustis de causis Deo vtrumq; prohibente.

196. Potuerunt ingenij sui viribus cognoscere Christum ex Virgine nasci; sed tamen Deum id non permisisse, inde colligit Sanctissimus Martyr Ignatius, quia ex desponsata filium voluit nasci. Sic si naturæ ipsorum vires attendas; poterant porcos ingredi, qui ab obsesso quodam, cuius Euangelica historia meminit, ejciebantur: verùm si quod naturæ viribus poterant, pro libidine & voluntate potuissent; nec alterius fuissent potestate impediti; nec à Domino, vt sibi porcos ingredi liceret, postulassent. *Teste Hiero. in 1. c Matthæi Matth. 8.*

197. Quis neget ipsos in Iob corpus seuire potuisse? potuisse filios internecioni dare, substantiam vniuersam perdere? Veruntamen quia Dei in hac re consensum præstolantur; demonstrant se pro voluntate nõ potuisse, ad quod præstandum natura vires sufficientes contulerat.

198. Possunt modo dæmones cursum cælorum sistere; si vires naturę attendas; & si non omnes, certè qui ex superioribus ordinibus deiecti sunt. Neque enim minor ipsorum, quàm bonorum Angelorum est virtus. Sed & quod naturæ viribus possunt, facerent. Tanta est ipsorum nocendi libido: non tamen sistunt: quia quod possunt, non permittuntur facere.

199. Et qui mulieres quàsdam de loco ad locum transferunt, antequam in Iudicum & Magistratus potestatem venerunt; cur easdem cum sub Iudicum potestate sunt, è carceribus non eripiunt? vinculis soluunt? suis reddunt? quia scilicet non semper, quantum possunt, vt faciant, conceditur.

200. Si quantum possunt Spiritus nequam, tantum ipsis Dei voluntate permitteretur; non nisi omnium rerum confusio & vastitas esset timenda. miscerent humana diuinis, quadrata rotundis. Neque enim, vt Iob loquitur, potestas est, quæ comparetur ijs. Sed continet eorum vires Deus Opt. Max. Vt in ipsius manu omnia: ita quoque dæmonum vis & potestas constituta est. Tantum & non plus faciunt; quantum ipsis à Deo permittitur.

201. Quæ cum ita sint; attendamus primùm, quid in hac re, de qua Disputatio est, dæmones viribus suis possint: deinde inquiramus, vtrum quod possunt, permittantur facere; an potius, quemadmodum in alijs multis, ita hîc ipsorum potestas ligata sit, & impedita.

202. Et profectò fieri posse, vt in nocturnis iam dictis conuentibus aliquando etiam eos, qui omni culpa vacant, nec vllius maleficij sibi conscij sunt, exhibeant, vix dubium est. quibus artibus eos, qui Deo relicto ad castra ipsorum transierunt, possunt repræsentare; ijsdem possunt & eos, qui sunt Innocentes.

203. Possunt Innocentes extra dictos conuentus exhibere, & exhibent persępe. superius id exemplis demonstratum est. Est quos possunt
Thes. 194. extra conuentus, quidni exhibere poterunt in ipsis conuentibus? an qua virtute in vno loco pollent, nō pollent in alio? & quod coram his valent, non valent coram alijs? Locus scilicet & personæ eorum vires infirmant? Non infirmant.

204. Sed tamen quamuis per se possint Innocentium imagines exhibere dæmones: vt tamen in dictis conuentibus aliquando exhibeant; credi non debet: propterea, quod hoc de illorum sit genere, quæ ne dæmones faciant, diuina prouidentia prohibere videtur.

205. In maximam Innocentium hæc res iniuriam cederet. Cùm enim propemodum solùm in his conuētibus complices & maleficij socios cognoscant Malefici: haud dubium, ipsi quæstionibus subiecti, & de complicibus interrogati, eos (quanta verò cum Innocentium iniuria? proderent, quorum ipsi imagines in similibus conuentibus conspexissent.

206. Singularis Dei erga Innocentes prouidentia hanc ab ipsis iniu-
Psal. 90. riam auertit, hoc sacrarum Scripturarum auctoritate edocti asserimus, Qui enim habitant in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabuntur. Non timebunt à timore nocturno. Non accedet ad eos malum: flagellum non appropinquabit tabernaculis eorum. Mandauit Deus angelis suis, vt custodiant ipsos in omnibus vijs eorum; portabunt eos in manibus, ne fortè offendant ad lapidem pedes suos. Quia sperauerunt in eum, liberabit eos: & protegeteos, quia cognouerunt nomen eius.

207. Si Innocentes repræsentare in nocturnis conuentibus pro sua libidine possunt dæmones; cur non possunt eorundem formam simulare, atq; sub eorum imagine latrocinia, adulteria, furta, & his similia, vt ipsos traducant, committere? An fortè hoc, quàm illud dæmonibus est difficilius? Difficilius non est: verùm vt hoc facerè prohibentur, ita illud.

208. Quod dicimus, confirmat probrorum omnium consensus. Etenim si hanc ludificationem fieri posse existimarent; non possent non vehementer sibi timere; & solliciti esse, ne dæmonum opera exhiberentur, in maleficij suspicionem venirent, & quæstionibus subijcerentur. At nihil timent; securo sunt animo: atque hac mentis securitate testantur, rem hanc ex illorum esse genere, quæ fieri nequeunt.

FINIS PRIORIS DISPVTATIONIS DE Prodigiosis Apparitionibus Viuorum sub propria forma.

DE

DE PRODIGIOSIS VIVORVM APPARITIONIBVS SVB PEREGRINA ET BESTIARVM FORMA.

CAPVT XV.

Docetur varijs exemplis, fieri, vt viui adhuc homines sub brutorum animantium forma aliquando conspiciantur & appareant.

209. PRodigiosę Apparitioni, qua viui sub peregrinis, & non proprijs formis exhibentur, plura testimoniū præbere videntur; quàm præbuerunt illi, qua sub proprijs formis, quamuis præter naturæ ordinem, conspiciuntur.

210. Gentium superstitio, & Poetarum libri infinita propemodum exempla suppeditant: quorum maximam partem non immeritò quis inter fabulas reposuerit. Cum his fortè non malè coniungentur, quæ referuntur de sociis Vlyssis à Circe Maga in varias animantium formas transfiguratis; de socijs Diomedis commutates in aues, & de Asino aureo Apulei, atque Luciani.

211. Maiorem forsitan fidem habent sequentia. Scribit Euanthes Græcus author de Arcadibus, quòd cum stagnum quoddam eius regionis, vestitu in quercu suspenso, tranant; in lupos transmutentur, & cum cæteris eiusdem generis congregati, per nouem annos lupi permaneant: & hoc tempore si humanis carnibus abstineant, reuerti rursum in stagnum, & cùm tranauerint, effigiem recipere, & reuerti ad pristinum habitum, addito nouem annorum senio. Idem confirmat Varro, teste B. Augustino, exemplo cuiusdem Demenetij, qui cum gustasset de sacrificio, quod Arcades Deo suo Lycæo facere solebant, in Lupum mutatus est, & anno decimo figuram propriam, vt dicitur, recuperauit. *de Ciuit. li. 18. cap. 17.*

212. Faciunt quoque huic transmutationi, & prodigiosæ Apparitioni fidem Pomponius Mela, Herodotus, & Vergilius Maro. Mela cum Herodoto de Neruijs Schytiæ Europeæ Gente scribunt, statum illis singulis annis tempus esse; quo, si velint, in lupos, iterumq; in eos, qui fuerunt, homines mutentur. De Moëris veneficio sic scribit Vergilius. *Lib. 2. cap. 1. Lib. 4. de Neruis. In Bucolicis.*

Has herbas atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur pluvima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe imis animas excire sepulchris,
Atq; satas alio vidi traducere messes.

Omitto, qui

qui cum his consentiunt, Homerum, Solinum, Theophrastum Strabonem, Dionysium Afrum, &c.

Lib. 18. de Ciuit. cap. 17.

213. Narrat B. Augustinus fuisse suo tempore in Italia mulieres quasdam Stabularias, quæ viatoribus caseum dabant, nescio quibus veneficijs infectum; quo sumpto protinus illi vertebantur in iumenta, & onera portabant. Testatur hęc se à Præstantio, viro fide digno, audiuisse: eundemque Præstantium retuliſſe, patrem suum eiusmodi maleficis cibis per has mulieres correptum, statim graui somno indormiuisse; ac post multos dies, (quorum spatio expergisci nullis remedijs vnquam potuit) narrasse, se per id tempus equi habuisse speciem, ac semper frumenta tulisse: addidisse etiam portandi tempus, locumque, & modum quo tulisset. Quarum rerum, cum veritas inquireretur, aiebat inuentum esse, quod equus eius speciei, qua Præstantij pater dixerat, eo tempore, eo loco, frumenta ijs tulerat, quibus ille dicebat.

c. 20. Hist. Las.

214. At rem etiam facit, quod Palladius refert, in vita Macharij. Rustici cuiusdam vxorem adulter amabat: cumque illam in suam sententiam pellicere nequiret, Magi auxilium implorat, qui vel maritum necaret, vel vxoris erga se amorem excitaret. Magus vxorem in equam conuertit; qualis & marito, & discipulis Macharij, ad quem à marito adducta fuit, visa est.

Bodin. de dæmo. cap. 6.

215. Legimus apud Guilielmum Tyri Archiepiscopum, iuuenem quendam Anglum in Cypro, vbi militabat, fuisse à Maga transformatum in Asinum: cumque, ad suos redire volens, vnà cum socijs nauem ingredi tentaret, ab ijs tanquam Asinum repulsum esse, & ad Magam reuersum. Vsa est illa adolescentis Asini opera ad triennium, donec in Ecclesia visus est ad genua procidere, & ea, quæ ab animante bruto fieri nequeunt, facere. Tum enim in suspicionem venit Maga; & ad Iudices rapta, omnem rem confessa est, atque, restituto pristinæ formæ adolescente, dignas pœnas persoluit.

In speculo lib. 3. cap. 109.

216. Huic simile est, quod Vincentius habet. Ait fuisse in Germania duas Sagas, quæ hospitium transeuntibus præberent, & plerosq; hospites in bestias conuerterent. Inter alios refert ipsas adolescentem quendam in Asinum commutasse, qui mille ludos, & voluptates viatoribus exhiberet, addit eundem, vbi semel aquis se immersisset, statim in pristinam hominis formam redisse.

Lib 18. ca. 45. 46. 47. Hist. Septen.

217. Refert Olaus Magnus in Prussia, Liuonia, atque Lithuania frequens esse, vt in festo Natiuitatis Christi, sub noctem, statuto in loco, quem determinatum habent, homines maxima multitudine conueniant, & ibidem in lupos conuertantur: qui mox eadem nocte mira ferocitate in animalia atq; adeo, quos possunt homines, sæuiant; ędificia oppugnent, cellaria ingrediantur, cereuisiam exhauriant, vasa transferant. Refert idem intra Lithuaniam, Samoghetiam, & Curouiam esse parietem ex quodam diruto castello reliquum: ad hunc certo anni tempore, aliquot milia eorum conuenire; atque vnumquemque suam agilita-

agilitatem saltando explorare: eos verò qui parietem transiure nequierint, flagellis ab eorum præfectis cædi. Idem Olaus rationem & modum aperit, quem, qui in lupos conuerti volunt, seruant. hic est, vt poculum certis verbis incantatum exhauriant. His similia adhuc in Liuonia fieri testantur Mercatores fide digni, alijque oculati testes. Sed & Petrus Mamorinus hanc mutationem hominum in Lupos dicit à se in Subaudia visam. *Bodin. lib. 2. cap 6.*

218. Quæ dixit, tribus exemplis confirmat Olaus. Primum est Rustici cuiusdam, qui cùm fame premeretur, vnà cum socijs in lupum conuersus, proximum ouium gregem inuadit, & ad suos ouem vnam defert, Lupi forma deposita. Alterum est cuiusdam serui nobilis fœminæ. Hic impunitate sibi promissa, homo Cellarium ingreditur, & mox egreditur Lupus: cumque eum canes insequerentur oculumque eruissent, vbi formam hominis rursum assumpsit, monoculus apparuit. Tertium est cuiusdam in hoc maleficij genere admodum excellentis; quem Dux Prussiæ, vt in lupum se conuerteret vi adegit, postmodum verò, de tanto scelere supplicum sumens, igne comburi mandauit. *cap. vlt. lib. 18.*

219. Quod sequitur referunt Saxo & Crantzius. Frotho Danorum Rex, victorijs clarisſ. in Iubia, tanquam in capite regni sui, magni ponderis auream armillam triuijs affigi curauit, indictę à se probitatis experimentum, tam insignis prædæ documento, daturus. Cuius irritamentum, quanquam improbas lacesseret mentes, ac siniſtra sollicitaret ingenia, superabat indubitatus periculi metus. Maga quædam, filium petendæ furtim prędæ cupiditate sollicitauit, impunitatem promittens, quod Frotho fato proximus esset. Rex ea contumelia lacessitus, ad diripiendos matronæ penates contendit, præmisſis, qui eam cum liberis comprehensam adducerent. Hoc præsciens fœmina, in equum se conuertit: mox verò accedente Frothone maritimæ bouis specie assumpta, pastum in littore vagabunda petere videbatur: filios quoque in vitulos conuertit. Cuius monstri admiratione Rex captus, circuiri ipsos, reditumque ad vndas negari iubet: denique vehiculo, quo obsenium vtebatur, egressus, humi consedit. At mater, prætento cornu Regem adorta, alterum eius latus confodit, quo vulnere exanimatus est. Milites iaculis portenta configunt; ijsque interemptis animaduerterunt humana cadauera ferinis capitibus prædita esse. *Lib. 5. hiſto. Lib. 1. Daniæ c. 32.*

220. Notum est Petrum Burgottum, & Michaelem Verduuium insignes maleficos anno 1521. ob plurima, quæ hominibus damna intulerunt, graues pœnas persoluisse. Inter alia confessi sunt, se, si quando oleo quodam vnxissent, mox in lupos conuersos, plurimùm hominibus incõmodasse; cum lupis etiam, inhonestos congressus habuisse, nec minorem cum ijs, quam cum mulieribus, voluptatem esse expertos. Scribit Iobus Fincelius Paduæ Lycanthropum fuisse deprehẽsum, cui quidem lupini pedes resecti sunt; sed momento pedibus & manibus truncatus homo repertus est. Baianum quendam Iudæum, quando- *Vier. lib. 6. de præſtig ca. 13. li. 11. de mirabilibus.*

cunque placuit, se in lupum conuertisse docet Historia Ioannis Tritemij.

221. Non ante multos annos tres Magæ apud Argentinenses formatrium ingentium felium Agricolam adortę sunt: verùm ille se egregiè defendens feles vulnerauit, atque depulit. quid inde? mox mulieres repertæ, quæ ab Agricola se vulneratas esse conquæstæ sunt. Certò enim constat, inquit Olaus Magnus, si iupus (simili is est ratio felium) ex homine transmutatus occisus, aut alicuius membri mutilationem passus fuerit; mox hominem, quando ad pristinam formam redit, aut illo membro carere, aut mortuum deprehendi.

Malle Malef. cap. vlt. li. 18.

222. Exemplis pluribus opus non est. Confirmata est hæc transmutatio in Disputatione coram Sigismundo Imperatore habita, vt testatur Vlricus Molitor. Confirmata est in altera coram Leone VII. Pontifice Maximo celebrata, postquam eidem Petrus Damianus retulisset, quam ipse diligentissimè inquisiuit, & plurimorum testimonio veram esse deprehendit, narrationem ex Vincentio, superiùs allatam, de adolescente in Asinum conuerso.

Thes. 217.

223. Supradictis omnibus maximum robur addit Sacrarum Scripturarum auctoritas, quæ haud obscurè has prodigiosas Apparitiones & transmutationes confirmare videtur. Prædictum est Nabuchodonosori Regi, (vt habet prophetia Danielis) quod ejciendus esset ab hominibus, & habitationem habiturus communem cum bestijs feris: quod, tanquam bos, fœnum esset comesturus, & rore cœli perfundendus. Prophetiam effectus consecutus confirmauit. Ex hominibus abiectus est Rex, vt ifidem dicitur: fœnum vt bos comedit, rore cœli corpus eius est infectum: capilli in similitudinem aquilarum creuerunt, & vngues eius vnguibus auium similimi affecti sunt. Et ne quis non reuera mutatũ esse Regẽ putet, docent Dorotheus & Epiphanius eundem anteriori parte corporis speciem Bouis, posteriore autem Leonis retulisse; vt, scilicet, hac ipsa forma daretur intelligi Regem priori sua ætate fuisse ventri & libidini deditissimum; posteriori autem immanitati, crudelitati, rapinis, ac cædibus hominum vacasse; Hinc est, vt non immeritò dixerit B. Gregorius Nabuchodonosor Regem in animal irrationale mutatum esse.

Dan. 4.

In Synopsi.

In vita Dan.

Lib. 5. Moral. c. 8.

CAPVT XVI.

Ostenditur in prodigiosis hominum sub bestiarum forma Apparitionibus, non secundum humanum corpus tantum fieri transmutationem; ita scilicet, vt vna eademq; anima nunc sit inhumana, nunc in bruti alicuius animantis corpore.

Via in his Apparitionibus, vbi non sub propria, sed peregrina brutorum animalium forma homines conspiciuntur, alidit; non immeritò ante omnia in quæstionem

nem vocatur, qualis nam illa sit. Ad quam cùm responsum fuerit, reliqua, quæ cum his Apparitionibus coniuncta sunt, persequimur.

225. Hominum igitur in bestias mutatio duobus modis fieri dici potest: aut secundum corpus tantùm, aut secundum corpus & animam simul. Priori modo fiet, si eadem anima in alio atque alio, hoc est, nunc in humano, nunc asinino, aut lupino corpore constituatur: Posteriori, si totus, quantus quantus est homo, id est secundum corpus & animam esse desiant, & in aliud animal, asinum scilicet aut lupum conuertatur.

226. Prius illud dupliciter potest accidere: primò, vt sola hominis anima, quæ prius in humano fuit, postea, in beluino sit corpore; secundò, vt cum hominis anima etiam sit anima atque forma bruti animantis. Illud si fieri debet, necesse est omnino aut corpus humanum conuerti in beluinum; aut hominis animam de corpore in corpus migrare, ex hominis inquam, in bruti animantis: hoc requirit, vt duas in vno corpore animas atque formas constituamus. Porro omnia hæc ex eorum sunt genere, ἀδύνατα dicuntur. quod vbi demonstrauerimus, manifestum erit, dici non debere, hanc mutationem secundum solum corpus fieri, id est, vnam atque eandem hominis animam nunc in humano, nunc in beluino corpore degere singula doceamus.

227. Corpus humanum in beluinum in his Transmutationibus non conuerti, quia aliàs pluribus demonstrandum est, hîc probari non debet. Id solùm quærimus, quid est, quod dici possit humanũ corp⁹ hîc in bestiæ tramsmutare? an fortè ipsa hominis anima? at illa nihil, vt proprium diligit; nec tantas, vt corpus transmutare possit, vires habet. An quæ à quibusdam in his transmutationibus adhibentur verba, & vnguẽta? at vnde illis tanta virtus? An fortè aliquis Spiritus? sed nulli tãta à Deo collata potestas. An igitur DEVS trãsmutat? at cur ille quod condidit destrueret, aliudque animæ, quàm ab initio summo cum iudicio dedit, conferret domicilium; & quidem sedem brutorum animantium?

228. Verum quia, vt diximus, hoc aliàs demonstrandum est, doceamus nunc, quod secundo loco probandum erat, in hac trãsmutatione hominis, animam corpus proprium non deserere; nec serinum, siue bestiale ingredi. Primùm enim si proprium relinquit, quo quæso loco relinquit? Nam vt aliquo relinquat, omnino necesse est; cùm omne corpus locum sibi quendam vendicet. quo igitur loco relinquit? nullo relinqui cernitur; vt verò astu quodam ex hominum oculis subducatur semper, quis fieri credat?

229. Deinde nunquam anima suum corpus deserit, nisi cum ipsius quadã molestia, & corporis dolore & difficultate: at verò molestiam hîc anima nullam habet: tantum verò abest, vt dolorem corpus sustineat; vt ad has transmutationes, cum summa voluptate perditi quidam homines festinent.

230. Qua etiam ratione hîc verè mori homo, qui transmutari dicitur, negari potest? Si enim mors nihil est, quàm animæ à corpore separatio; omnino mori dicendus est homo, si proprium suum corpus anima deserit, atque aliud inuadit.

231. Sed, esto, relinquat suum corpus anima: quæritur iam, vbi mox aliud, quod ingrediatur, inuenit? bruti inquam animantis? Neq; enim tantæ sunt vires animæ nostræ, vt mox sibi corpus formare valeat: Angelis illa potestas collata est, qui longissimo interuallo post se hominis vires relinquunt. Vbi igitur aliud inuenit?

232. An fortè Angelorum ministerio ferinum animæ subministratur? Dici id potest: credi non debet. Non ad hoc operas suas conferunt boni Angeli: Mali quamuis aliud subministrare possint; frustra tamen subministrabunt, cum nec anima hominis illud informare valeat; nec per illud operationes suas exercere.

233. Sed reliquerit anima, vbicunque voluerit, proprium corpus: possit etiam, quacunque tandem ratione, acquirere aliud; nullo modo tamen dici debet, de corpore vno in aliud ipsam transire, id est humanum deserere; ingredi ferinum & bestiale: propterea quod quemadmodum fieri nequit, vt de subiecto in subiectum migrent accidentia; ita de corpore in corpus transeat anima.

234. Iam olim hæc animarum transmigratio damnata est in illis, qui aut propter demerita animas corporibus dixerunt includi, aut postquam ex hac vita migrassent, voluerunt rursus ad alia redire. Neque propter demerita animæ corporibus includuntur: neque quæ semel corpora reliquerunt, vt alia informent, vnquam reuertuntur.

235. Pluribus hîc opus nõ est. id vnum liceat quærere: faciatne suum & proprium sibi anima corpus, quod informare dicitur, in his Prodigiosis Apparitionibus? Negari non debet, quin suum faciat, cum non minùs, quàm prius, (quod reuera suum erat) possidere dicatur, & agere. At si animæ illud corpus esse dicamus: non vnum ipsi, sed duo corpora tribuemus, hoc inquam, quod assumpsit; & prius quod deposuit: an igitur cum vtroque in fine sæculorum resurget? humano scilicet, & beluino? & si cum altero tantùm; cur potiùs hoc, quàm illud resumet? Hoc secundo loco sit dictum.

236. Restat demonstremus fieri non posse; vt duę in vno corpore sint animæ, id est cum hominis anima, bruti animantis coniungatur. Hoc enim tertium est eorum, quæ firmanda erant, pro expugnanda eorum sententia, qui corporum tantùm mutationem in hac prodigiosa metamorphosi, fieri arbitrati sunt.

237. Porro hoc demonstrare difficile non est. Communis rectè philosophantium sensus & cõsensus est, non nisi vnam animam vno corpore contineri: & vnam eandemque, quamuis per diuersas vires & facultates, omnia officia in vno homine obire & administrare.

238. Si duæ in eodem corpore animæ latitant, Lupi scilicet & hominis,

nis, nonne & lupum & hominem dixeris; qui vtramque hanc animam posidet? At quis vnquam hominem dixerit lupum? aut lupum hominem? Disparata hæc à Philosophis dicuntur, quorum illa ratio est, vt de se dili nullo modo possint.

239. Vnus Christus Dominus noster est, in quo humana & diuina natura concurrunt; sed ita, vt vtramque diuina hypostasis excipiat atq; sustentet, quo fit, vt homo dici possit Deus, & Deus homo: verùm simile quid in hac mutatione fieri posse, aut etiam fieri, impium est asserere.

240. Præterea, quando bestiæ anima ad hominis animam in hoc prodgioso corpore accedit, tum ne quàm primùm formam & figuram bestiæ homo induit? Ita profectò suspicor. Sed ea est ratio animarum perfectorum animalium (in quorum genere sunt asinus & lupus) vt de potentia materiæ educantur, non verò extrinsecus (quemadmodum hominis anima) infundantur: porro vbi de materiæ potentia animæ educuntur; ibi ipsam formam primùm ad anima suscipiendam, aptari oportet: quæ vero hic dispositio? quæ præparatio?

241. Quærimus rursus, vbi nam ipsa anima bestialis (si aliquando affuit (maneat, postquam rursus humanam formam homo assumit? Procul dubio, si aliquando in prodigioso corpore fuit: oportet tunc desinat, atque intereat. At quemadmodum non è materia educitur, nisi præcedentibus pluribus, quæ ipsam materiam aptent, dispositionibus: ita neque, quam semel informat, materiam deserit, nisi dissoluantur & occidant, quæ ipsam conseruant dispositiones At dissolutionem atque ruinam dispositionum nullam in homine obseruamus.

242. Duplicis generis sunt animæ: quædam imperfectorum animalium, quæ secta viuunt; quædam perfectorum. Inter vtraſq; hoc interest; quod imperfectorum non ex semine solum (quod à sibi similibus deciditur) produci possunt, verùm etiam ex putredine, atque viscosa materia, virtute solis, atque circumstantium elementorum: perfectorum verò non ex putredine, sed à sibi similibus, quorum virtus est in semine, producuntur. At asinus atque lupus, in quos homines conuerti dicuntur, inter perfecta animalia recensentur: ipsorum igitur animæ virtutem, quæ in semine latet, postulant. Quis verò vnquam semen lupi in hominum corpus infundi dixerit, vt lupi anima ad hominis corpus accedat?

243. Dicetur fortè Dæmonis hîc virtutem supplere, quod ex parte seminis desideratur. Dici hoc potest; cum ratione dici non potest. Magna sit dæmonis virtus: sed tamen tanta non est, vt hoc possit. Quemadmodum non potest hominem producere, nisi humanum semen aliunde mutuet; ita neque potest producere aut lupi animam, aut asini, aut alicuius perfecti animalis; nisi animalium istorum vim atq; virtutem suffuretur, atque ea vtatur.

244. Sed bestiarum conspiciuntur in his corporibus operationes: Vlulant prodigiosi in syluis lupi,& greges inuadunt: onera ferunt grauissima prodigiosi asini; & vt hi tardi sunt; ita illi ea celeritate & pernicitate pollēt,quæ hominibus posibilis nullo modo videtur. Sit ita: sed tamen talia illa non sunt, vt omnino ab humana & rationali anima, fieri nequeant.

245. Docet sacra scriptura brutum animal,asinam Baal, humana voce locutum esse. Isigonius Cithiensis in Rhodo insula refert Iouis taurum humani sermonis expertem non fuisse. Ante Cæsaris Dictatoris mortem in agro Romano bos arator ad Rusticum conuersus cæpit loqui. Et tamen nemo adeo desipit, vt ob id humanam mentem asinæ aut tauro tribuendam censeat,quemadmodum nec humanam mentem tribuimus aut flumini Causo, quod Pythagoram transeuntem propria voce compellauit,& cunctis,qui aderant audientibus,salutauit. Si verò non idcirco animam humanam brutis tribuimus aut fluminibus; quia humana voce locuta sunt; profecto nulla ratio cogere debet, vt idcirco animā bruti in prodigioso corpore constituamus,quia bruti quasdam in ipso operationes deprehendimus.

Fulg. li.1.c.4.

Porphy. in eius vita.

246. Atque ita constitutum sit in his prodigiosis hominum sub bestiarum forma apparitionibus,priorem mutationem locum non habere; hoc est,non corpus tantummodo, anima eadem nunc hoc, nunc illud subeunte,transmutari: Reliquum est vt alteram discutiamus,atque vtrum totus homo in totam bestiam conuertatur,definiamus.

CAPVT XVII.

Referuntur rationes, quibus quibusdam persuasum est in his prodigiosis viuorum sub peregrina forma Apparitionibus,veram totius hominis, aut certè corporis hominis in bestias fieri transmutationem.

MVlta sunt, quæ totum hominem in bestiam mutari, & ex homine veram bestiam, lupum aut asinum fieri, probare posse videntur. Hæc vbi allata erunt,quid res habeat, tribus capitibus demonstrabitur.

248. Atque primum se offerunt exempla,Cap.15. allata. Neq; enim illa pauca sunt, neque leuia, Sunt hic socij Vlysis & Diamedis: sunt Lucianus & Apuleius: sunt Arcades: sunt viatores Italici, quorum B. Augustini: memiuit: sunt quos referunt Guilielmus Tyri Archiepiscopus, Palladius, Vincentius, Olaus, Saxo, Krantzius. denique, quem primo loco nominari oportebat, magnus ille Rex Nabuchodonosor, magnum ad hanc causam confirmandam, robur affert.

248. Post exempla sunt argumenta. Primùm ipsa exterior,quæ se sensibus offert, forma & imago præbet. Neque enim, si externam corporis formam,atque figuram hic spectes,quidquam hi prodigiosi lupi & asini, ab alijs, quorum natura per communem generationis legem principium est,differunt.

Secun

250. Secundum argumentum præbent functiones, quas communes habent, atque eaſdem propemodum cum functionibus aliarum naturalium beſtiarum. Quocirca cum ex functionibus de naturis rerum iudicemus; vix videmur aliud poſſe inferre, quam vera brutorum eſſe corpora,, quæ hîc conſpiciuntur, & veras brutorum animas, quæ hæc corpora mouent, atque agitant.

251. Tertium præbet ipſorum feritas & crudelitas. Non enim minus prodigioſi hi lupi in oues aliaſq; beſtias ſæuiunt, quam veri lupi quid, quod propemodum ſint crudeliores? atque nõ in beſtias ſolum, verum etiã homines, crudelitatem ſuam oſtendant? eos diſcerpant? dilanient? deuorent?

252. Quartum præbet fortitudo & robur. Certis hiſtorijs conſtat, aſinos hos prodigioſos onera geſtaſſe, ad quæ ferẽda quatuor vel quinque homium vires non ſuffeciſſent, quocirca omnino, vt videtur, neceſſe eſt vera aſinorum corpora hîc conſtituamus, & humana remouea mus; veras item brutorum, quæ in ſimilibus corporibus ſedem habuerũt, animas admittamus.

253. Quintum præbet diuturnitas temporum, quibus ſub peregrinis corporibus homines fuerunt. Referũtur, alij ſub beſtiarum forma fuiſſe tribus annis; alij ſeptem, alij nouem, alij etiam pluribus. At vt phantaſtica corpora tanto tempore perdurarint vix eſt credibile: vt hominis anima illa mouerit, vegetarit, & ſuſtentarit, impoſsibile.

254. Ad hæc accedit viuendi ratio. Quis & hominum & brutorum animantium crudis carnibus, hominis vitam ſuſtentari dixerit? Et ſi hoc fieri poſſet: quis humanum corpus vrticis crediderit alij; atque tot annis, quot ſub aſini forma quidam ſunt viſi?

255. Debet quoque hîc eorum ſententia valere, qui in beſtias aliquando mutati ſunt. Hi quemadmodum conſtanter aſſerunt ita nec aliud ſibi perſuadere poſſunt; quam ſe in veras beſtias eſſe mutatos: ob quam cauſam etiam etiam eorũ quidam mortem oppetere non debitarunt. Hæc pro vera tranſmutatione ſunt argumenta.

CAPVT. XVIII.

Demonſtratur animas hominum in prodigioſis, quæ videntur, corporibus verè manere, qualiscumque etiam corporum mutatio fieri dicatur.

MAgna ſunt, quæ ſuperiori Capite attulimus argumenta: & profecto, ſi non totius hominis in beſtiam conuerſionem, corporũ veram tranſmutationem fieri, omnino probare videntur: vt mirum non ſit inueniri, qui nihil de vera corporum tranſmutatione dubitent, inueniri etiam, qui totius hominis in beſtiam cõuerſionẽ admittant.

259. Sed tamẽ poſteriores hos in errore verſari dubiũ nõ eſt. Certũ eſt verã hominis animam in prodigioſo (vt videtur) corpore verè manere

quocirca vt totus homo mutatus sit, dici non debet. Atque hoc, vbi docuerimus, quænam & quanta in corpore mutatio fiat; videndum est.

258. Primum verò hîc plurimum valere debet communis omnium ferè, qui huius prodigiosæ mutationis meminerunt, consensus. Omnes propemodum animam rationalem, in quantumcunque eriâ transmutato corpore, subsistere arbitrantur. Dicit humana opinio (inquit B. Augustin.) arte mulierum, & potestate dæmonum, homines conuerti posse in lupos, & iumenta, veruntamen nō fieri in ijs mentem bestialem; sed rationalem humanam conseruari. Hinc in Odyssea Homerus, quamuis socijs Vlissis à Circe incantatis porcorum corpora, vocemq;, & pilos tribuerit; non tamen mentem negauit humanam.

lib. de Spiritu & anima c. 26.

Οἳ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήντε, δέμάστε
Καὶ τρίχας ἀνταρ ὁ γῦς ἦ ἔμπεδος ὡς τὸ πάροστερ.

259. Idem confirmant, quæ in his (vt ita dicam) trāsmutatis hominibus obseruantur operationes. Tales enim sunt, vt non nisi ab animante, humana anima & rationali prædito fieri queant. Quomodo, quæso, asinus, cuius meminit VVilhelmus Tyri Archiepiscopus, socios nauem ingredientes secutus fuisset, & se repelli ægrè tulisset, quomodo in genua, dum tremenda mysteria in Ecclesia celebrari vidit, procidisset; nisi mens ei humana fuisset?

Thes. 216.

260. Solet dici, oratione atque ratione hominem maximè à bestijs distingui. Vbi igitur vel ratio est, vel oratio; ibi humanam animam adesse suspiceri omnino licet. At locutas quandoque bestias, in quas homines conuersi dicuntur, pluribus exemplis & veteribus, & recentibus potest demonstrari: non igitur ijs humanus animus negandus est.

261. Obseruamus eos, qui in bestias aliquando conuersi fuerunt; vbi humanam formam receperunt; eorum recordari, atque illa referre; quæ dum sub bestiali forma degerent. præstiterunt. Quomodo verò recordari horum poterant, quomodo referre; si non in peregrino corpore mens atque animus, qui & hæc efficeret, & singula notaret, permansit?

262. Non eædem, sed nec similes sunt operationes harum bestiarum, in quas homines conuerti dicuntur: & illarum, quæ in syluis degunt, & communi naturæ atque generationis lege ex sibi similibus generantur. Neque enim prodigiosi lupi, tam in oues; quàm homines sæuiunt: quemadmodum cati, in quas Sagæ conuerti dicuntur, non muribus, sed hominibus insidiantur. Non igitur istarum bestiarum; sed hominis anima in prodigiosis, quæ videntur, erit corporibus.

263. Experientia probatum est non semel; si quando aut læsi sunt hi prodigiosi lupi, aut mutilati, aut interfecti homines mox læsos, aut mutilatos, aut interfectos inueniri, qua ratione verò id fieri potuit; si non hominis anima (ne dicam hominem ipsum) in prodigioso corpore fuit?

265. Præterea, qui in bestias conuertuntur, post aliquod tempus ad se redeunt. Dubium verò nullum est, quin idem ipsi, redeant, qui fuerunt antea, quàm in bestias conuerterentur: habent igitur eandem, quàm prius mentem, & animam. Si verò quando sub forma bestiali degebant, anima rationali & mente destituti erant; quæso, quo loco anima, quæ prius corpus informabat, latuit? qua arte item ad corpus redijt?

266. Non nisi diuina virtute fieri potest; vt quæ semel corpus reliquit anima, rursus cum corpore coniungatur (siquidem anima corpus relinquit per mortem, & ad corpus, non nisi per miraculum, atque diuina virtute redit), At diuinam virtutem adsciscere, quæ animam corpori rursus coniungat, postquam bestialis discedit, nimium est absurdum. Manet igitur (quamuis sub bestiali & peregrina forma) hominis mens & anima.

267. Non nisi summa difficultate, & dolore anima corpus relinquit, propter arctissimum, quod inrer ipse est vinculum: at in hac tranimutatione difficultas nulla interuenit. proferuntur, nescio, quæ voces; aut, nescio quo, vnguento corpus inungitur, vel aquis immergitur; & subitò in bestias, sine vlla difficultate, atque doloris sensu, homines transformantur.

268. Quærimus etiam quisnam sit, qui animam à corpore seiungit. Neque enim putandum est ipsos, qui in bestias conuertuntur, hac potestate pollere, vt dum volunt animas deponere valeant; & rursus, dum volunt, assumere. Neque cogitandum aliorum id incantationibus fieri, aut vnguentis: quia quamuis his artibus fieri dici possit, fieri tamen nulla ratione potest doceri. Maius est vinculum animæ & corporis, quàm vt his, vt ita dicam, vmbris & crepundijs dissoluatur.

269. Demonstratum igitur sit animas hominum, qui in bestias conuerti dicuntur, non desinere esse; sed reuera in bestiali, quod videtur, corpore consistere. Reliquum est vt videamus, verum, & quanta in ipso corpore mutatio fiat. In hoc enim, cum in anima non fiat, si modo aliquam fieri dicendum est, mutatio quærenda est.

CAPVT XIX.

Non vera esse brutorum animantium corpora, quæ in prodigiosis his Viuorum, sub peregrina forma Apparitionibus conspiciuntur, pluribus rationibus docetur.

QVamuis eos temere erroris arguere nõ audeamus, qui corporum tranſmutationem hîc concedunt; & vera asserunt esse luporum, asinorum, atque catorum corpora; in quæ homines conuerti dicuntur: nõ veratamen horũ corpora esse, ex duobus videmur posse concludere; ex argumentis, quæ nec pauca, nec leuia hîc suppetunt; & ex contrariarum rationum refutatione.

Q Primum

271. Primum ratio naturalis egregiè pro nostra sententia militat. Non in quibuscunq; corporibus quascunque animas considere posse manifestum est; Certas dispositiones corpora requirunt, vt animas suscipiant; certas, vt ipsas conseruent: hæ si aliquando deficiant, dissolutio hominis sequitur; atque ipsa anima corpus deserit. At qui hanc transmutationem constituunt; nullam huius rei rationem habere videntur; sed animam hominis mox in asini, mox rursus in hominis, deinde vicissim in lupi corpus transire contendunt, nullis præcedentibus dispositionibus, quæ locum animæ præparent.

272. Deinde, vt certas dispositiones animæ in corpore requirunt; ita certam quoque externam atque spectabilem figuram postulant. quod vsq; adeo verum est, vt monstrorũ loco eos habeamus; qui à communi omnib⁹ hominibus forma, aliquo corporis excessu, vel defectu, vel deformitate degenerant: & si externa prorsus forma desideretur, de anima humana, vtrum in corpore sit, dubitetur. Quod si ita est, quomodo fieri dicemus, vt consistente in corpore vera humana anima, nulla exterior huius forma appareat? Aut igitur in prodigioso corpore anima hominis non est, aut non verè prodigiosum lupi, aut asini hic corpus est. Animam hominis esse superius probatum est: concludimus igitur verum prodigiosum corpus abesse.

273. Vix minima in hominis membris fit alteratio, quin aliquo tactus sensu illa percipiatur. Sentit externum frigus, sentit calorem, sentit membrorum contractionem, sentit leuissimas punctiones. At in hac transmutatione tanta, vbi omnia membra non de loco solum in locum transferuntur, sed in alia quoque membra transmutari dicuntur, nullus omnino sensus est, præter imaginationum, qua sibi homo persuadet in bestiam se commutatum esse, Non igitur veram corporum transmutationem fieri dicamus.

274. Sed & media quæ ad hanc mutationem faciendam assumuntur, talia sunt, vt nullus sanæ mentis existimare debeat, veram corporum transmutationem fieri. Aut enim verba quædam recitantur, aut corpus, nescio quo; vnguento vngitur, aut se in aquas homo præcipitat, & mox in lupum vel asinum transformari dicitur. At vnde tanta verborum vis, tanta vnguenti, tanta aquarum? Naturalis illa non est. Oportet igitur à Deo ijs rebus sit communicata. Sed quod communicet, hactenus nemo dixit. Minimè sunt partes Dei in hac prodigiosa, qun cum summa eius offensa fit, transmutatione.

275. Præterea non in lupos solum atque asinos, verum etiam in minora animalia, in catos scilicet atque aues, homines conuerti dicuntur, & quidem parui quandoque homines in magnos asinos atque lupos, & homines magni in paruos catos atque aues. Vt verò hic vera corporũ transmutatio fiat quis credat. An ingens & vastum corpus, ad summas angustias, sine vllo doloris sensu qui tamen hic abest, contrahi potest? aut aut absque eodem doloris sensu exile atque tenue extrahi, extendi, atque dilatari?

276. Et quenã partes quibus partibus, in hac transmutatione (si fieri cõcedatur) respondent? aliquas fortè aliquibus respõdere dici potest, verum non omnes habere sibi respondentes manifestum est. Respondeat asini capiti caput hominis, priores pedes hominis manibus, posteriores pedibus, corpus corpori, & horum membrorum sit facta transmutatio. Sed, obsecro, quid in homine est, quod caudæ asini respondeat? an fortè hæc aliunde assumitur? aut ex hominis aliqua alia parte, aut ex nihilo producitur?

277. Quærimus etiam, qualis illa sit permutatio, qua humanum, in bestiale corpus transmutatur, an naturalis an violenta. Certum est naturalem dici non debere, cùm non natura, sed ars atq; industria dæmonis, eius sit principium. Si verò violenta est, vt est, nullam ad illam vim cõfert corpus humanum: quinimo resistet, quantum poterit, & non fine magno dolore tandem, & post difficultates non paucas admittet: quæ quia hîc non percipiuntur, frustra asseritur humanum in beluinũ corpus transformari.

CAPVT. XX.

Docetur non posse verè dici homines in veras Bestias transmutari, & conuerti.

DEmonstratum est animas hominum in transmutatis, vt videtur, corporibus manere: probatum etiam, verè ipsa corpora non transformari, nec ex humanis bestialia seu ferina fieri: ex vtroque concludimus totius homine transmutationem admttti non debere. 278.

279. Atq; hoc est, quod B. Augustinus disertè docet. Verba eius hîc asscribimus. Humana, inquit, opinio dicit; quòd quadam arte mulierum, & potestate Dæmonum, homines conuerti possint in lupos & iumenta, & quæque necessaria portare, & post peracta opera iterum ad se redire: nec fieri in ijs mentem bestialem, sed rationalem humanamque seruari. Hoc sic, inquit, intelligendum est: quoniam Dæmones naturas nõ creant, sed aliquid tale facere possunt, vt videantur esse, quæ non sunt. Nulla enim arte, sed nec potestate animus, sed nec corpus quidem aliqua ratione in membra, vel in lineamenta bestialia, veraciter conuerti potest. Ita B. Aug: Similia prorsus habet lib. de Ciuit. Dei c. 18. *De Spiritu & anima c. 26.*

280. Idem videtur docere Concilium Anquirense cap. 1. Quisquis (dicitur ibi) credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt: proculdubio infidelis est, & pagano deterior. *Habetur 27. q. 5. cap. Episcopi.*

281. Exemplis etiam pluribus demonstrari potest, eos, qui se in bestias cõuersos esse putarunt, in bestias immutatos non esse: sed eo loco, vbi Vel vnguẽta sua, quorũ in hac trãsmutatione vsus est, adhibuerãt;

vel certis verbis vsi sunt, in grauissimum somnum lapsos, veluti mortuos sub propria hominis forma permansisse; atq; vbi tandem à somno excitati fuerunt, retulisse se & in lupos fuisse conuersos, & greges ouium dissipasse, & grauia tam pecoribus, quam hominibus damna attulisse.

282. Fauet huic sententiç, quod in vita Macarij legimus, exemplũ mulieris, quę in equam conuersa dicitur. Procul dubio, si in veram equam opera Magi commutata fuisset: non nisi forma equæ se Macarij conspectui obiecisset. At in propria hominis forma mulierem vir sanctus conspexit; quam alij, nequitia dæmonis illusi, non nisi sub equæ forma intuebantur.

283. Magnum quoque hinc argumentum sumitur; quod, si quando vis prodigiosis bestijs affertur; si pes illis auferatur, aut manus; non bestiæ, sed homini, pes vel manus, ablatus inueniatur: & si interficiantur, atque discerpantur; non bestia, sed homo interfectus atque discerptus reperiatur. Verùm si bestia hic fuit; cur inflicta vulnera, aut illata mors non bestiæ, sed homini accidisse deprehenditur? Nempe, quia verus homo est, & non bestia, qui vulnera excipit, & cui mors infertur: quamuis non homo, sed bestia aut brutum animal videatur.

284. Quocirca non malè Plinius. Homines, inquit, in lupos conuerti, rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sęculis comperimus. Idem, postquam; quomodo Arcades mutentur, narrasset, Mirum est, inquit, quo procedat græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat. Sed nunc contrarijs argumentis respondeamus.

lib. 8. c. 22.

CAPVT XXI.

Respondetur Exemplis, quibus, Capite decimo quinto, probatum est, Veram hominum in bestias transmutationem fieri.

DVplicibus machinis à nobis, iam tribus Capitibus, confirmata Assertio, expugnata est; exemplis, & rationibus: vtrisque oportet respondeamus, vt omnino constet inanem hanc esse, quæ fieri dicitur, hominum in bestias transmutationem. Ab exemplis principium faciamus.

286. Proferuntur socij Vlysis: à Circe Maga in varias bestias transmutati dicuntur. Non ignoramus eos dici mutatos, at mutatos esse constanter, cum B. Augustino, negamus. Ille hic vel fabulam admittit, vel hominum sensibus putat impositum: vt videre sibi viderentur, quod reuera non videbant. Idem Augustinus negat Diomedeas aues ex hominibus esse factas: vult permutatis hominibus (vt eius verbis vtamur) aues opera diaboli suppositas; quemadmodum, inquit, cerua pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia: quæ cum ad aram occidenda staret, sub ictu, miseratione Dianæ, subtracta est, & cerua substituta. At aues illæ dicet aliquis, in Diomedis templum aquam rostris afferunt, & asper-

Thef 211.

li 18. de Ciuit. c. 18.

aſpergunt; blandiuntur etiam grecigenis, alienigenas perſequuntur: & quorundam capita tam grauibus ictibus vulnerant, vt perimant: quæ non ſunt officia ſuppoſitarum auium. Eſto, non ſint illa officia ſuppoſitarum auium: ſed tamen neque ſociorum Diomedis in aues conuerſorum ſunt officia. quorum igitur? Sunt officia diaboli; cuius inſtinctu & motione veræ atque ſuppoſitæ aues illa fecerunt. Interest enim diaboli (inquit B. Auguſt.) Diomedem Deum eſſe falſum; ad decipiendos homines; vt falſos Deos cum veri Dei iniuria multos colant, & hominibus mortuis, qui nec cum viuerent, verè vixerunt, templis, altaribus, ſacrificijs, ſacerdotibus (quæ omnia, non niſi vni Deo viuo, & vero, cui debentur) inſeruiant.

287. Apuleium Magum fuiſſe conſtat: verſum in Aſinum putandum non eſt: quemadmodum nec Lucianus conuerſus eſt, à quo ille ſuum argumentum eſt mutuatus. Scripſit Lucianus, cum eſſet in Theſſalia, Magiæ cognoſcendę cauſa, ſe in aſinum mutatum, dum vellet in auem: non quod hoc ei contigerit, ſed quia huiuſmodi argumentis delectabatur, nec veris, nec veriſimilibus. Id opus ſic Latinum fecit Apuleius, vt ad verbum expreſſerit pleraque omnia, additis plurimis, quo iucundior eſſet lectio ijs, qui Mileſijs fabulis delectantur. Ita Ludu. Viues. in Auguſtinum. *Theſ. 211.*

288. Quæ Arcadibus in Lupos conuerſis refert grauis author Euanthes, aut confidenter (inquit Plinius) falſa eſſe exiſtimare debemus, aut credere omnia. quæ fabuloſa tot ſæculis comperimus. Quod ſi cum Varrone, quis ijs fidem velit adhibendam, non neceſſe eſt credat veram corporum factam eſſe tranſmutationem, cum eo modo videri poſsint in lupos cnouerſi Arcades, quo in varias beſtias ſocij Vlyſsis. *Theſ. 212. Lib. 8 c. 22.*

289. Nec aliud de Neruijs Scythiæ Europeæ populis ſentire oportet, quam de Arcadibus ſenſit Plinius: Nec aliud de Mœri Vergiliano. Delegerint illi quodcunque voluerint tempus, legerit hic quaſcunque potuerit herbas: nec illos tempus, nec hunc herbæ, vt in lupos verè conuerterentur, iuuare potuerunt. Si quid apud vtroſque lupinum fuit, non niſi lupi imago, aut imaginatio fuit. *Theſ. 213.*

290. Proferuntur etiam Stabulariæ mulieres, quarum opera homines in lupos conuerſi dicuntur. Hanc rem etſi non velit negare D. Auguſt. negat tamen vlla dæmonũ arte potuiſſe fieri, vt homines illi in membra vel lineamenta (vt ipſe loquitur) beſtialia conuertantur. quicquid hîc factum eſt, opera diaboli putat factum. *Theſ. 214.*

291. Sic non veram tranſmutationem factam eſſe in Muliere, quæ ad Macarium adducta dicitur, hoc ipſum probat, quod quã cæteri equam putabant, illam non ſub equæ, ſed propria & humana forma intuitus ſit Macarius. Qui aliorum ſenſibus impoſuit dæmon, viro ſancto illudere non potuit. *Theſ. 215.*

242. Idem ad VVilhelmi Tyri Archiepiſcopi, idem ad Vincentij, Olai Magni, Krantzij, & quæcunque producta ſunt, produciue poſſunt exempla, 220. &c. *Theſ. 216. 217. 218 219.*

exempla, respondere licet. Sunt tamen alij modi, quibus hæc mutatio fieri, aut videri fieri dici potest: de quibus, quia suo loco plura dicenda sunt, hîc multa afferre necesse non est.

293. Additur hanc transmutationem fuisse confirmatam duplici Disputatione, & quidem coram summis Christianæ Reipub. capitibus. Et quid mirum? quot nos illam exemplis. Cap. 15. confirmauimus? Confirmatum sit, & concluſum has transmutationes fieri, vt homines in bestias mutati sint, vt humana corpora in ferina & agrestia sint transformata, nec confirmatum fuit, nec fuit concluſum. Quod si etiam hoc quisquam confirmatum esse velit asserere, tum in illius nos sententiam concedemus, vbi grauioribus, quam à nobis allata sunt, præsidijs & argumentis hoc confirmatum esse intellexerimus.

294. Restat, vt ad Nabuchodonoſoris Babilonioru Regis exemplum respondeamus: Ad quod, quia maius suæ cauſæ præsidium in eo ponunt, qui contrariæ sunt sententiæ, plura dicenda videntur. Primùm non negamus diuina virtute fieri potuisse, vt etiam salua mente & anima Nabuchodonoſoris Regis, corpus in verum bouis corpus transmutaretur. Nonne vxorem Loth in statuam salis, aquam in vinum, virgam Moyſis in serpentem esse conuersa sacra testatur historia? Magna Dei virtus: quemadmodum hominis animam sub hac, quam circumgerimus, ita sub bouis & cuiusuis animantis specie, conseruare potest.

Thes. 224.
Genes. 19.
Ioan 2.
Exod. 7.

295. Sed non hîc, quid Deus posſit, sed quid fecerit, inquirimus. Optimè. quid igitur fecit? Non conuertit Deus Nabuchodonoſorem in bouem: neque verum ipſi bouinum corpus tribuit. Nunquam enim hanc, tantam, tamque inusitatam, transmutationem Scriptura tacuisset, quæ tàm subtiliter, tam distinctè & explicatè commemorat multò leuiora, quæ in hac mutatione contigerunt. Accedit quod Nabuchodonoſor agnitus non fuisset (externa scilicet forma mutata) idem, qui ante fuisset: nec adeo manifestè iustitia Dei, eius scelera vindicantis, per notuisset omnibus. Cum verò Deus in ipso exemplum suæ iustitiæ constituere decreuerit; omnino agnosci debuit, & non in peregrina bouis forma circumuagari. Itaque minimè à nobis probatur, quam hîc Dorotheus, atque Epiphanius transmutationem prodigiosam effingunt.

Thes 224.

296. His tertium adimus; Nec eorum nobis sententiam probari; qui quamuis negent, verè in bouem transmutatum esse Regem; volunt tamen in speciem, & simulatè mutationem factam esse: quia, scilicet, Deus sic immutabat, inquiunt, & afficiebat sensus eorum, qui Regem spectabant; vt omnino se bestiâ videre crederent: vel potiùs, quia circa corpus ipsius circumposuit figuram quandam bestiæ, sub qua cum cerneretur ab alijs, bestia videbatur. Quid? An non hominibus Deus hac ratione imposuisset? Nonne Regis peccatum sic in alijs potius, quam in ipso Rege esset vindicatum? Sed & Scriptura ita hanc mutationem recenset, vt nihil simulatè hic accidisse credere debeamus.

Medina de recta fide. lib. 2. c. 7.

297. Sunt

297. Sunt qui dicunt, vt alicubi D. Thomas indicauit, Nabuchodonosorem, nec reuera, nec æstimatione aliorum, qui ipsum conspicie bant, in bestiam mutatum esse; sed sua tantum opinione, & imagina. tione; vt quæ adeo corrupta fuerit & depranata; vt omnino bestia sibi esse, visus sit. Hoc etsi probabilius, quam cætera, dicatur; aliquam tamen habet difficultatem: propterea quod Scriptura eundem aliorum etiam opinione, vt bestiam habitum esse insinuet; cum ob illam causam, à suo illum consortio separauerint, & eiecerint. *Lib. 2 de regi: Princip. cap. vltimo.*

298. Dicimus igitur, nec verè in bestiam conuersum esse Nabuchodonosorem: nec humana tantum opinione: nec sua tantum imaginatione: nec vtrorumque æstimatione bestiam habitum: sed bestiam dictum vel habitum, ob efferatos quosdam motus, & signa hominis planè feri, & ad statum atque conditionem bestiarum redacti. Quæ verò illa signa? Sex sunt præcipua. Primũ fuit, habitus ferinus magis quàm humanus. Etenim semper nudus ingrediebatur; rori, & nubibus, ac alijs cœli iniurijs more bestiarum obnoxius. Secundum, neglectissimus corporis cultus. Siquidem adeo prolixè illi excreuerant capilli, vt totum fere corpus contegerent; vngues quoque ei ad similitudinem auium creuerant. Tertium est, motus & gressus: Non enim modo humano ingrediebatur, erecto vultu, rectoque corpore; sed prono ac curuo: quinetiam ad similitudinem bestiarum manibus & pedibus reptans. Quartum est victus. Nec enim eo tempore delectabatur Nabuchodonosor humanis cibis, sed pastu, & cibatu, potuque bestiarum. Quintũ est habitatio. fugiebat congressum, & domicilium hominum: in syluis vagabatur, & cum bestijs ac feris consociatus, morabatur. Sextum denique oris & linguæ vsus. Non humano more voces articulatas proferebat, sed ritu bestiarum stridens inconditas voces edebat. Has causas esse putauerim, ob quas D. Gregorius Regem Nabuchodonosorem in animal irrationale mutatum esse dixerit. *lib. 5 moral. c. 8.*

CAPVT XXII.

Respondetur rationibus, quibus, Capite decimo septimo, demonstratum est, Veram in his Apparitionibus hominum in bestias transmutationem fieri.

EXemplis responsum est, quibus probari videbatur, veram hîc corporum transmutationem fieri: restat nunc rationibus, quarum haud minor, quam eexemplorum vis est & robur, respondeamus. 299.

300. Primum omnium sensuum, & quidem ipsius visus, qui minimè fallere videtur, iudcio vrgetur vera transmutatio. At iudicet visus de coloribus, de corpore atque ijs, quæ in obiecto suo non comprehenduntur, certum iudicium ferre non potest. Quoties enim vel hic ipse visus fallitur? Nec hoc mirũ. Cũ enim operationes suas perfectè exercere nequeat, nisi & eius obiectum sit præsens, & medium, in quo rerũ *Thes. 250.*

species

ſpecies ad ipſum deferuntur, diſpoſitum ſit omnis aborgano, in quo reſidet, abſit defectus; tot rationes errandi habet, quot ad ſua operationes exercendas ipſi ſunt neceſſaria. Sed ad præſens negotium magis facit, quod in artibus fieri videmus. Ita illæ quorundam effigiem exprimunt, vt ſi ſenſuum iudicio hic ſtare velimus, non rerum imagines; ſed res ipſas exhiberi dicere debeas, muquid igitur mirum ſi nobis arte diaboli imponatur: veros lupos videre videamur, qui lupi veri non ſunt? Quam eſt mirus præſtigiator diabolus?

Theſ. 251. 301. Idem de functionibus, quæ ſecundo loco producebantur, dicimus. quemadmodum vera beſtiarum corpora non ſunt, quę cernuntur; ita nec verè viuentium, quæ videntur, operationes, & functiones Etiã hic ſenſus noſtri faſcinantur: etiam hic dæmonis illuſione propemodum omnia peraguntur.

Theſ. 252. 304. Crudelitatis argumenta (vt tertio argumento dicebatur (quæ partim in beſtias, partim in homines ſtatuuntur; tribus modis fieri dixerimus; ſic tamen vt in nullo vera hominis transformatio facta ſit. Aut enim hominum imaginatio ita diaboli opera immutatur, vt ſe in beſtias tranſlatos eſſe omnino iudicent; & ob id velut beſtię quædam in alios ſæuiant: aut pro homine lupum aliquem verum impellit, atque excitat dæmon, qui ſtrages in gregibus edat: aut denique ipſe hæc facit dæmon; ſed tamen intuentium oculos faſcinat, vt lupos ſe videre exiſtiment, à quibus hæc perpetrenter; cum tamen nihil præter luporum imagines hominum ſenſibus ingerat.

Theſ. 253. 303. At grauia, & hominum viribus imparia geſtant hi prodigioſi aſini onera; Hoc quartum argumentum eſt. Verum bene ſanctiſsimus Auguſt: Onera hæc, inquit, ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, vt hominibus illudatur, partim vera corpora onerum, partim imentorũ falſa cernentibus. ita Auguſtinus. Addiderim ſæpè vera non eſſe, quæ videntur, corpora. Quoties gallus gallinaceus maximam trabem trahere viſus eſt pluribus? cum tamen qui alijs acutioris eſſent viſus, non niſi leuiſsimum tradi cernerent ſtramen?

de Ciuit: Dei lib. 18. cap. 17.

Theſ. 255. 304. Quinto argumento quæritur, qua ratione dici poſsit; vt tanto tempore ſub beluina, & biſſiali forma permanſerint, qui tranſmutati dicuntur, ſi formam humanam nunquam depoſuerunt: ſi nunquam aſſumpſerunt beſtiarum. Sed ſi ita dæmon homines ludificat, vt ſe beſtias eſſe poſſint putare, cum reuera humanam formam retieneant; quid mirum eſt ſi ſibi miſerè faſcinati homines perſuadeant, tot ſe annis ſub beſtiarum forma fuiſſe? Dices, non ſibi ſolum, verum etiam alijs tot annis tales eſſe viſos. Vehementer ego de hoc dubitarem: ſed tamen ſi quod affertur, concedatur, nihil quod dæmonis vires ſuperat, conceditur. quemadmodum ac breue, ita ad longum tempus dementare homines poteſt.

Theſ. 254. 305. Putatur etiam fieri non poſſe, vt crudis hominum, aut beluarum carnibus, homines vitam ſuſtentent: & ob id omnino neceſſe eſſe

in

in bestias verè conuersos esse, quibus hic cibus est? id quidem putatur, sed tamen non verè. Scimus humanis, & beluinis carnibus vitam suam plurimos sustentasse. sunt pro hac re exempla Latronum, Magarum & Strigum: qui in innocentium corpora crudeles fuerunt, & miserè trucidatos deuorarunt. Sunt qui tum optimè secum agi existimant, si à proprijs quibus lucem dederunt, filijs deuorentur. At carduis quoque & herbis vixerunt: vt illi qui in asinos dicuntur conuersi. Quid si vixisse negemus? quid si cum agrestibus his cibis dicamus habuisse alimentum humanum? Adde, quod quamuis ille humanus cibus non sit, non tamen ita peregrinus est, vt hominum vitæ sustentandæ seruire nequeat. Adde secundo, temperamentum corporis istorum hominum adeo potuisse immutari, vt similius esset ferino, quam humano, quocirca cibus bestiarum, qui humano temperamento est noxius, illorum potuit esse conueniens & vtilis. Facit huc, quod Plinius narrat: quandam esse gentem AEthiopum, quę solis locustis crudis viuat; alios tantum herbis pasci: quosdam omnia mandere, & obuijs quibusque rebus vesci, ob idque Pamphagos, omnia edentes, appellari. *Lib. 5. c. 30.*

305. Reliquum est ijs respondeamus, qui se in lupos conuersos fuisse, & ferinam vitam egisse, constantissimè affirmarunt. Sed profectò horum testimonio parum probari potest, cum dubium non sit, dæmonis præstigijs & illusionibus hisce hominibus impositũ esse. Nouimus qui se mortuos dicerent, & ob id nec cibum vellent sumere, nec potum, sed sepulturam vrgerent: an idcirco mortuos fuisse iudicabimus? Nouimus, qui graui infirmitate correpti, veros se esse dæmones confessi sunt: an igitur dæmones esse dicendum fuit? Et qui tantum se nasum habere putabat, & constanter affirmabat; vt cubiculo egredi non posset; tantum nasum habuisse putandus est? Phantasia hominis, atque perturbati sensus has res persuadent; vt mirum non sit reperiri, qui in bestias se conuersos esse constanter, quamuis falsò, asserant. Persuasum erat Præstantij patri, se in equum fuisse conuersum: persuaderi id non potuit alijs, qui illum domi dormientem obseruabant. *Thes. 256.* *Vide Thesi. 214.*

CAPVT. XXIII.

Explicatur modus, quo fit, vt homines partim sub brutorum animantium forma appareant; partim ipsi sibi persuadeant. se verè in bestias transmutatos esse, cum reuera transmutati non sint.

306. Demonstratum est in prodigiosis hominum sub bestiarum forma Apparitionibus, nullam intercedere aut corporum transmutationem, aut animarum transmigrationem: restat nunc doceamus, quomodo ipsæ fiant; & quæ qualisque mutatio sit, qua vel homines sibi, vel alijs in bestias transmutati videntur.

307. Sunt, qui hîc nihil, nisi morbum quendam agnoscunt hominum ægrotantium, qui se putant in asinos vel catos conuerti, qualē in phreneticis obseruamus. Itaq; vt hi mirabiles rerū species se videre existimant: ita illi in mirabiles animantium formas transmutari sibi videntur.

308. Sunt alij, qui humana putant corpora subtrahi, & substitui vera brutorum animantium: vtrumque autem opera dæmonum fieri; qui quemadmodum illa subtrahūt, aut inuisibilia reddunt; ita his pro sua voluntate, quando, vbi & quamdiu libet vtuntur.

309. Sunt tertij, qui humana corpora volunt à dæmonibus soporari, phantasiamque abripi; atque sic illorum mutationem persuaderi.

310. Hæc, quamuis non improbabiliter dicantur; in omnibus tamen Apparitionibus locum habere nequeunt. Esto sit aliquando morbus, qui has transformationes persuadeat ijs, qui se in alias formas cōuerti existimant: at quoniam alij, qui hoc morbo non laborant, hos, qui laborare dicuntur, sub peregrinis formis conspiciunt; non omnis transmutationis ratio in morbum conferri debet.

311. Sic neque debet dici brutorum corpora humanis subtractis semper substitui. quia neq; semper humana subtrahuntur; vt pluribus exemplis doceri potest? neq; substituūtur semper brutorum. Sæpe humana relinquuntur: rarò brutorum substituuntur; quando tamen sub brutorum formis homines conspiciuntur.

312. Quod denique humana corpora à Satana soporentur, & phantasia abripiatur; sic q illorum mutatio persuadeatur; quis semper fieri credat? Omnesne soporari censebimus, omniumque phantasiam abripi, quibus sub peregrinis formis alij apparent? soporentur & abripiantur, qui se transmutari existimant, qui transmutatos conspiciunt, quis soporatos & abreptos dicat?

313 Ratio ergo transmutationum harum, quæ fieri videntur ex duobus (vt putamus) petenda est. Primùm ex ijs, qui transmutari dicuntur, secundò ex ijs, qui se homines sub peregrinis formis cōspicere arbitrātur. Inquirendum est, quid illos inducat, vt se transformari iudicent, & quid hos decipiat, vt veras transmutationes fieri existiment, cùm tamen (vt demonstratum est) veræ nullæ sint, aut corporum, aut animarum.

314. Vtrobique, operam diaboli præcipuam censemus esse causam. Hic prioribus persuadet, quod in bestias conuertuntur, & posteriores fascinat, vt sub brutorum formis se conspicere arbitrentur, eos, qui propriam humanamq; retinent.

315. In prioribus id efficit præcipuè phantasiam siue imaginationem immutando, & varias in illā species imprimēdo: hac ratione fit, vt omnino sibi persuadeant id se esse, quod reuera non sunt. In posterioribus sensuum exteriorum iudicio ferè vtitur, atque vel in illorum organa, formas peregrinas inducit; vel in circumstante aëre easdem effin

effingit: vel similes circa corpora, quæ sensibus obijciuntur, & immutari videntur, efficit.

316. Sed tamen, vt in prioribus etiam sensus exteriores potest immutare; quamuis præcipua eius opera sit phantasiam informare, ita quoq; in his posterioribus, quamuis sensibus externis plerunque imponatur, phantasia tamen sic immutari potest, vt omnino sensus ad suum iudicium rapiat.

317. Hæc fieri posse non ignorant docti, & quicunque diaboli vires, & potentiam perspectã habent: fieri verò, inde videmur, certò concludere, quòd aliæ rationes harum, quæ fieri videntur transmutationum assignari non posse videantur.

318. Cum enim reuera corporum, vt dictum est, transmutationes nõ fiant, multò verò minus corporum & animorum simul, ad illas omnino confugiendum est, quas phantasiæ, & sensuum iudicium persuadet: quæ cùm naturam ducem atque causam non habeant, necesse est in malignos Spiritus, qui sensibus tam externis, quàm internis illudunt, conijciantur.

319 Veruntamen quamuis naturæ has mutationes non tribuamus, nõ tamen omne hîc suum obsequium natura denegat. Seruit illa dæmonibus in his transmutationibus: natura illi vtuntur: naturã suis vsibus accommodant: idq; ea dexteritate (quæ cálliditas dæmonũ est) vt nulla ipsi hîc vis inferri videatur.

320. Atque hæc communior, & magis vsitata ratio est, quam dæmones in prodigiosis hominum sub bestiarum forma Apparitionibus seruant: sed tamen non sola est: aliam quandoque adhibent, tam in ijs, qui transformari videntur, quàm ijs, quibus Apparitiones ipsæ exhibentur.

321. His enim non semper imponit, id est, non semper sensibus illorum illudit, sed quandoque vera corpora sensibus obijcit: quæ tamen illorum non sunt, qui exhibentur, sed aliunde assumpta sunt, aut ex aëre condensata, licet hoc fine, vt verorum hominum corporib' substituantur, illosque exhibeant.

322. Sic quandoque veræ sunt corporum transmutationes: tum scilicet, quando vtrorumque formę non nimium à se distant. Cùm enim ad motum localem dæmonibus corpora subiecta sint, non negauerim humano corpori caput ouinum aut lupinum, opera dæmonum affingi posse, id est caput hominis in hanc vel illam formam transmutari. an non simile quid in obsessis corporibus ipsum quandoque efficere obseruauimus?

CAPVT XXIIII.

Explicantur Causæ efficientes prodigiosarum Transmutationem & Apparitionum hominum, sub peregrinis & bestiarum formis.

323. QVamuis ex præcedentibus vtcunque constat, quæ harum prodigiosarum Transformationum & Apparitionum causa efficiens sit; quia tamen non omnia, quæ dubium animum reddere potuerunt, explicata sunt; res paulo exactiùs discutienda est.

324. Igitur cùm causæ efficientes aliæ principales sint, aliæ instrumentales, vt vocantur; vtraque in his Transmutationibus locum habere, non sine ratione suspicabitur, qui exempla eorum, qui in bestias commutati dicuntur, & modos, quibus commutati sunt, secum expendere velit.

325. Principales enim causas illas dixerit; qui homines in bestias commutant, qualescunque illi tandem sint: Instrumentales, res illas atque media; quæ pro hac Transmutatione adhibentur.

326. Hinc ad prius genus referet, præter diabolum, (cuius præcipuæ hîc partes sunt) homines, qui vel alios, vel ipsos in bestias transformarunt: ad posterius vnctiones corporibus adhibitas, incantationes & carmina, baptismata, siue in aquas immersiones, caseum, vel alium aliquem cibum, poculum denique certis verbis incantatum.

327. Porro de his quæstio haud parua est. Quæritur enim, Vtrum tanta Hominis possit esse potestas; vt has prodigiosas transmutationes, vel in se, vel in alijs efficere valeat: Quæritur, Vtrum rebus, quæ pro his Transmutationibus adhibentur, vis huiusmodi insit.

328. Et quidē dubium nō est, nec maleficos, nec incantatrices, aut Sagas has Transmutationes per se, sine iam dictorum adminiculo efficere posse. quid enim? solāne voluntate, quandocunque lubebit; aut se aut alios in bestias conuertent? Nec ipsi se hanc potestatem habere existimant. Quotiescunque vel se, vel alios transformant, vnctiones suas, vel carmina, vel his similia adhibent.

329. Diabolus, cuius hîc præcipua opera est, his non indiget: alijs ipse occultioribus rationibus vtitur. Sed nec illa adhibet; si quando per se hominem transformat: dum tamē operā hominum in hac metamorphosi vtitur, hæc non negligit; sed studiosè adhibet: & nunc quidem hæc, nunc alia, atque alia.

330. Ea vera hominum, qui in hoc officij genere diabolo operam suam locant, persuasio est, vt omnino hanc vim vel vnctionibus, vel incantationibus, vel aquis vel cibo atque potui inesse existiment.

331. Sed tamen falso. Vis hæc rebus ijs non inest. Adhibeantur quotcunque

cunque possunt vnctiones: recitentur, quot excogitari possunt, carmina: non prætermittatur aut vllus potus, aut cibus: horum tamen virtute Transmutationes vel Apparitiones fieri, nunquam credi debet.

332. Quod dicimus in verbis siue carminibus (in quibus tamen Malefici maximum præsidium ponunt) manifestum est. Nulla illa alium, quàm, vt notæ sint rerum, quæ in mente sunt, vsum habent. virtute operandi prorsus carent.

333. Quis illam virtutem verbis indidisset? Cùm enim, ex se, illa careant; profectò necesse est aliunde acceperint, si habent. A quo verò? Ab hominibusne, qui has Transformationes efficiunt? At hi, quèadmodum illas efficere non valent; ita neque possunt verbis vim conferre, vt per hæc, illæ fiant. An igitur à diabolo, qui hominum opera vtitur? At potest ille rerum, quas habent, virtutibus ad effectus varios producendum vti, rebus verò nouas virtutes indere aut ingenerare non tur. Res certior est, potest.

334. Si vis hęc verbis inesset, à quocunque illa proferrentur, & quandocunque proferrentur, & in quoscunque proferrentur, suos semper effectus consequerentur. Iam verò, neque illa à quocunque prolata, nec vbiuil prolata; nec in quoscunq; prolata effectus hos consequuntur, quàm vt exemplis demonstrari debeat.

335. Scimus quædam verba esse, quibus vis operandi insit (quibus in sacramentorum administratione vtimur): sed diuina illa sunt, & à Deo Opt. Max. talis ipsis vis collata est. At quibus in horum transmutationibus Malefici vtuntur, diuina non sunt, diabolica sunt, & non sine grauissima Dei contumelia hisce vti contingit.

336. Quod de verbis diximus, idem de rebus intelligimus. Nec aquis inest vis corpora transmutandi: nec inest cibo aut potui; nec oleo, quo vnguntur corpora. Possunt aquæ hominum corpora lauare: potest cibus illa reficere; potest oleum confirmare, in alias formas transmutare nihil horum potest.

337. Sed Transmutationes hæ fiunt, dicet aliquis, vbi vel cibus sumitur, vel corpora vnguntur, aut aquis homines immerguntur, aut verbis quibusdam incantantur. Sit ita, fiant; veruntamen non fiunt, quia hæc adhibentur. Lauit quidam cum esset Eclipsis, at non, quia lauabat, erat Eclipsis. Non negamus Transmutationes fieri, dum hæc adhibentur, negamus idcirco fieri, quia hæc adhibentur.

338. Diaboli, vt præcipua, ita sola ferè est hìc occupatio. Hic occultis rationibus has Transmutationes efficit: non tamen sine his mediis, vt incautos decipiat, ne se eius opera vti in his Transmutationibus putent, sed ea rebus naturalibus asscribant, eoque liberius peccent.

339. Hinc est, vt tam varia sint media, quibus in his Transmutationibus homines vtuntur. Cùm enim ad effectos hos producendum nihil conducant, parum interest, his, siue illis, quantumuis contrarijs vtantur: modo ne dæmon operam suam denegare velit.

340. Hinc item est, vt non supradicta solùm, sed & alia adhiberi possint: quoniam à voluntate atque potestate dæmonis, hæc transmutatio pendet, & tantum conferunt ad hos effectus producendos quæcunque res aliæ, quàm quæ ex dæmonis institutione iam multis annis receptæ fuerunt.

CAPVT XXV.

Explicantur fines, qui diuersis in hac prodigiosa Transmutatione & Apparitione sunt propositi.

341. QVemadmodum varij sunt, qui ad has prodigiosas Transmutationes concurrunt; ita quoque varij sunt eorum fines. Alij sunt ipsorum dæmonum; alij hominum, qui ipsas procurant; alij Dei, qui hanc dæmonibus, & hominibus potestatem, vt alijs illudant, permittit.

342. Dæmonibus tria inter alia sunt proposita: diuinus honor, Dei contemptus, & mortalium pernicies siue interitus. Quibus morbis à tempore, quo à gratia Dei exciderunt laborarunt; ijsdem omnibus laborant: quocirca, vt semper diuini honoris fuerunt appetentissimi, Deique contemptores, & hominum salutis hostes; ita adhuc in omnibus quærunt, vt prædictos fines consequantur.

343. Et diuinum honorem non rarò his artibus sibi comparant. Nec enim non possunt desperatæ salutis homines magnam de dæmonibus opinionem concipere; quos tam faciles in tanta rerum metamorphosi, vt putant, pro sua voluntate experiuntur. Quid, quod plerique omnes, antequam dæmones in hoc negotio sibi obsequentes habeant, diuinum illis honorem tribuerint? Quid, quod, nescio quæ, sacrificia prius obtulerint? Quid, quod votis quibusdam eisdem se obstrinxerint?

344. Summus quoque hic Dei interuenit contemptus, summa iniuria: non propterea solum, quod Dei creaturis nequam Spiritus abutantur, verum etiam quod operam suam non promittant, nisi aut Deo & omnibus sanctis renunciatum sit, aut spes sit, quod relicto Deo, ad castra ipsorum miser homo sit transiturus.

345. Sic præsentissimus est hic hominum interitus, & non dubia pernicies. Quam enim potest sperare salutem, qui authorem salutis abiurauit? qui ad dæmonum castra transiuit? quem omnium, quæ pro salute consequenda vnquam præstitit, pœnitet? cui hoc est vnicũ studium, incommodare proximo, & strenuam dæmonibus operam locare?

346. Hi dæmonum fines. Hominis verò vel libertas peccandi, vel nocendi libido, vel petulantia plerunque impellit.

347. Liber

374. Libertas peccandi apud eos locum habet, qui seipsos in bestias transformare dicuntur. Cùm.n. nocere cupiunt; ne ob nocumenta, quę alijs inferunt, prodantur, & pœnas aliquando luant; peregrinas formas assumunt, atque in ijs proximis impunè se nocere existimant.

378. Nocendi libido, tam in ijs, qui transformantur; quàm qui alios transformant, obseruatur. In prioribus quidam, quod humana ijs forma auferatur; sicque, veluti bruta animantia, miserè tractetur: in his verò, quod humanam formam auferant, & ad miseras conditiones homines cogant.

379. Petulantia sine nocendi libidine atque detrimento eorum, qui transmutantur, non consistit. Interim tamen sola quandoque miseros impellit; vt quam norunt transmutandi homines artem, pro sua libidine probare velint.

380. Porro Deus, etsi has ludificationes prohibere possit, multis tamē grauissimisque de causis dissimulat, & permittit. Verumtamē ob alias dissimulat in ijs, qui maleficium, & transmutationes has procurant; ob alios in ijs, quibus maleficium affertur, & qui trausmutari dicuntur,

381. Priores Deus non debet prohibere; quia non conuenit, vt mala omnia prohibeat alioquin & furta ipsi prohibenda, & adulteria, & latrocinia, & his similia. Etiam Respublicas benè administrant; qui quædam peccata dissimulant: & bonorum legislatorum est non omnia male prohibere.

382. Non debet Deus hominibus, quam dedit, operandi libertatem, ipsis inuitis, auferre. Itaque quemadmodum ad bonum & virtutis studium neminem cogit; ita à malo neminem inuitum abstrahit: proposuit singulis aquam & ignem: libertatem singulis reliquit; vt ad quod velint manum extendant.

383. Postulat idem fortè vniuersi perfectio. quemadmodum.n. ad hanc monstra faciunt; quæ naturæ peccata dicuntur; ita faciunt peruersa hominum studia, quæ peccata morum vocamus.

384. Aliquando etiam hominum peccata merentur; vt ipsi sibi relinquantur, & de peccato in peccatum prolabantur; atque ita grauius in se iram diuinam prouocent, & maiores pœnas in futura vita assciscāt. *Et habetur rap*
Pulchrè enim B. Augustī: Hæc potestas, inquit, ideo datur dæmonibus; *Nec mirum ab*
vt peruersos homines sibi aptent; illos scilicet, qui spernūt veritatem, & credunt mendacio.

385. Ex parte eorum, quibus maleficium affertur, haud pauciores diuinæ permissionis causæ dantur. Prima est; quod hac ratione patientiam exerceat; & meritum eorum, qui transmutantur, augeat: quæ etiā causa fuit, cur dæmoni permiserit facultatem, in vniuersam substantiam, atque adeo corpus, Iob sæuiendi. *Iob 1.*

386. Altera est; vt qui elatioris sunt Spiritus, humilientur; peccatum suum agnoscant, & ad Deum inuocandum, eiusque auxilium implorādum excitentur. Sic Nabuchodonosor Rex ad conditionem brutorum *Daniel. 4.*

ani-

animantium perductus est; atque, vt bos, fœnum comedit: tandem enim cognouit quod dominaretur Excelsus in regno hominum. Vnde hæc eius oratio: Laudo, magnifico, & glorifico Regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

357. Tertia est, vt vindictam de hominum peccatis in hac vita sumat. Neque enim omnis pro peccatis pœna in futuram vitam reseruatur. Sæpe in hac vita, & magno eorum, qui illam subeunt, (si modo libenti animo subeant) emolumento, hîc persoluitur.

358. Accedit quarta, quòd sic diaboli vires atque nocendi libidinem manifestet: scilicet, vt homines ijs perspectis, eius imperium declinent, & iugum excutiant.

359. Quinta sit, quod iustitia Dei id quandoque postulet. Conuenit enim, vt in quo homines peccant, in eodem puniantur. Cùm igitur plerique peccent, nimium incantatoribus ac maleficis credendo, eorum auxilia & consilia expetendo, permittit iustissimè Deus, vt ab ijsdem in, nescio quas, monstrosas formas mutentur.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE TERRIFICATIONIBVS NOCTVRNISQVE TVMVLTIBVS, QVAE HOMINVM MORTES PORTENDERE SOLENT.

CVm argumento de Viuorum prodigiosis Apparitionibus communes esse videntur strepitus nocturni, atq; terriculamenta, quæ quorundam mortem præire, & indicare solent. Quocirca non abs re fecerimus; si de horum authore, & finibus pauca dicamus; modum etiam, quo illa fiunt, & tempora, atque loca, quibus fiunt, exposuerimus. Nam excitari hos strepitus, & hominibus haud raro his timorem incuti, nemo potest dubitare. Tot horum præbet exempla quotidiana experientia; quot sufficere possunt, ad hanc rem non doctis solum, & literatis hominibus, verumetiam, rudi populo persuadendam. 1.

CAPVT. I.

Inquiritur causa efficiens nocturnorum terriculamentorum, quæ mortis solent esse indicia: & ostenditur illa non fieri vel à deo, vel ab eorum animabus, quorum mortem significant.

DIfficilis verò res est definire, quęnam horum tumultuum, & terrificationum causa efficiens sit, quisue author: sed quamuis difficilis; non tamen impossibilis. forsitan verum authorem inueniemus, si prius, à quibus fieri non possint demonstrauerimus. 2.

3. Primum omnium certum est, ab aliquo fieri. Quæcunq; enim fiunt, cum suiipsorum causæ esse nequeant; omnino oportet, aliquid præter se habeant, quodcunque tandem illud sit, quod ipsorum causa sit, ipsaque efficiet. Habebunt igitur & hi tumultus aliquam sui causam.

4. Quam vero ipsorum causam afferemus? à quo tumultus hi fieri dicendi sunt? Necesse est aut à rebus corporeis aut ab incorporeis proficisci. Neque enim video quidnam hic tertium admittere debeam.

5. Porro in rerum incorporearum genere gradus sunt plures. Atq; vt ab imperfectioribus initium sumatur. sunt hîc hominum spiritus, tam viuentium, quam vita defunctorũ: sunt Angelorũ, tam bonorum, quam malorum. Et, qui omnium Spirituum pater est, Deus Opt. Max.

6. Hos gradus inter res corporeas distinguere hîc necesse non est. Quamuis enim inter ipsas multi sint, quemadmodum & inter incorporeas; ad tumultus tamen hos excitandos nihil faciunt, quæcunq; ad gradus hos, quomodocunque etiam, reuocantur. Si quid in genere rerum corporearum est, cui hos tumultus & terrificationes tribuere debemus, erunt homunciones quidam (forte lares domesticos benedixeris) qui inter hominem atq; brutum à quibusdam medium quiddam dicuntur, & nec homines verè sunt, nec bruta.

7. Cum igitur tam sint varia rerum genera, à quibus tumultus, de quibus quæstio est, excitari dicemus? Age hoc inquiramus. At equidẽ duo hîc certa atque extra omnem controuersiam posuerimus; reliqua quia difficultatem habere possunt, diligentius excutienda sunt. Certum est à Deo Opt. Max. non excitari, Certum nõ excitari à Spiritibus eorum, quorum mortem significat.

8. De Deo nullus dubium animum habere potest. Indignum est, diuinæ Maiestati has terrificationes & ludificationes asscribere; Sed & quæcunq; sub cœlo fiunt; si duo aut tria, quæ prorsus diuinam virtutem requirunt, excipias; aut per proprias rerum causas, aut Angelorum opera & ministerio exequitur.

9. Non ignoramus esse quosdam, qui humanum animũ, eius scilicet, cuius mortem hæc signa præcedunt, è corpore emigrare putant, atque horum tumultuum authorem asserunt: verum hi grauissimè errant. Potestne animus corpus deserere; & ipsum interim vegetare atq; mouere? Aut forte vnus idemq; animus diuersis locis existit? & qui, verbi causa, in superi domus parte hos tumultus excitat; idem corpus, quod alibi decumbit. conseruat, & fouet? Neutrum horum dici potest.

10. Sed nec tumultus hi eos, quorum mortis indicia sunt, tum latere possent, si ab ipsorũ spiritibus excitẽtur (neq; enim potest animus quæ agit, ipse ignorare (. At latere tã est certũ, quam certissimũ, quod fiant.

11. Quid quod nec ab animo hominis commode omnia fieri possunt, in hoc genere fieri quandoque obseruamus; aut si fieri possint, aut sic fieri debuerint, rationes iustas satis vix reddere possimus: Verum quoniam hæc dubia non sunt, reliqua persequamur.

CAPVT

CAPVT II.

Docetur terrificationes, & dictos tumultus non fieri ab homuncionibus quibusdam; sed nec esse tales, quales dicuntur, homunciones.

QVi homunciones quosdam, medium inter bruta & homines, sub humana tamen forma, animantium genus constituunt; qui occultis quidem locis latitent, sed tamen hominum aspectibus se quandoq; offerant; illi cũ ratione quadam hos tumultus ijs auctoribus tribuere videntur; quemadmodum & multa ijsdem, quæ hominibus obsequia exhibent, asscribunt. 12.

13. Sed tamen si rectè philosophari voluerimus: deprehẽdemus neq; tales homunciones in rerum natura esse; neque, si essent, mortes hominum posse præscire; quocirca nec iudicare; neque si præscirent, tumultuum horum atque terrificationum authores esse.

14. Si enim sunt hi homunciones; vbi quæso degunt, & sua habent domicilia? Mirum valde est, quod inter homines versari dicantur; & tamen nullus vspiam, vbi domicilia sua habeant, locus repertus sit.

15. Deinde qua ratione genus suum, ne intercidat, cõseruant, & propagant? (Neq; enim putandum est ipsos immortales esse & perpetuam hîc vitam agere, quemadmodum in cœlis agunt angeli). An forte eadem ipsorum, quæ hominum, atque brutorum animantinm conditio est; vt quidam ipsorum occidant, alij in eorum locum succedant? At quemadmodũ ipsorum non inueniuntur domicilia; ita neque aliquando inuentus est, ex his vnus, qui ex hac vita discesserit: non inuentus est, qui in defuncti locum sit suffectus.

16. Quibus etiam rationibus vitam suam sustentant? quibus rebus victitant? Aëre viuere, dici non debent; bestiarum atq; brutorum animalium cibum tribuere absurdum est; cum ad homines proxime accedant, & vix alio, quam statura differre videantur, An igitur humanus cibus illis tribuendus est? sed hic sæpe non suppetit; cum in desertis castris? relictis ædificijs, ad quæ nec homines veniunt, nec humanus cibus defertur, plerique ipsorum versari dicantur.

17. Quærimus quoque, Vtrum æternæ beatitudinis, & quam in futura vita expectamus, fœlicitatis participes fieri valeant; an potius vna cum corpore animus ipsorum intereat? Secundum hoc dici nequit, cum & humanam formam referant; & multa, quę sine ratione nõ fiant, peragere dicantur. At primum illud nulla ratione dici debet; cum media, quę ad salutem illam assequendam necessaria sunt, atque à Christo Domino instituta; prorsus ab ipsis negligantur.

18. Omnis ratio, cur hi homũciones esse asserãtur, ex ipsorũ Apparitionib⁹ dẽsumpta est, quia scilicet aliquando inter homines sunt visi; sed profecto hinc paruũ argumentũ ad ipsos astruẽdos colligitur. quã quęso

multa sunt, quæ sub aspectum cadunt, & tamen non nisi sensuum sunt illusiones, & præstigiæ? aut certè spirituum sub humana forma Apparitiones?

19. Sed quamuis etiam homunciones hos admittamus, tumultuum tamen horum causa dici non debent. propterea quod mortes hominum, quorum hi tumultus indicia sunt, præscire nequeant. Cum enim inferioris conditionis esse dicantur ipsis hominibus, nec tantum valere iudicio & ratione, quantũ homines, profecto quod homines non possunt, nec ipsi poterunt, hominum scilicet mortes præscire, & indicare.

20. Forte quia alijs occupationibus non distrahuntur, ad hominum naturas & temperamenta diligentius attendunt, & idcirco, quæ nos alijs occupationibus impediti præscire non possumus, illi præsciunt. Sit ita, verum qua ratione iam illorum exitus præscire ducendi sunt, quibus violenta mors adfertur? Cum igitur etiam horum ex hac vita discessum tumultus præcedant, quemadmodum non horum, ita neque priorum tumultuum authores dici debent.

21. Cõstituamus etiam ita esse, vt hominum mortes possint præscire, necdum tamen hos ipsis tumultum asscribere posse videmur. Id primum inde manifestum est, quod cum paruo admodum sint corpore, magnas vires habere credi non debent, quocirca nec tumultus hos, qui quandoque magni sunt, & magnas vires requirunt, ab ipsis excitari nulla ratione poterunt.

22. Præterea quoscunque ipsi tumultus excitant, eos necesse est corporum collisione (& quidem eorum quæ concuti audiantur) excitari. Audimus sæpe asseres deferri, ligna aptari, raptari instrumenta, clauos infigi, & mox postquam ad loca, vbi tumultus excitantur, aduolamus, nullum in similibus corporibus motum fuisse, magnis argumentis deprehendimus.

23. Denique diuersis quandoq; locis, maximeque distantibus hi tumultus excitantur. An forte diuersis etiam locis hos homunciones constituemus? aut postquam in hoc loco excitarunt, ad alium, vt ibidem excitent, transmigrare dicemus? Dici hæc possint, an cum ratione, vehementer dubitauerim.

24. Spirituum igitur opera terrificationes fieri, ex dictis videmur posse concludere. Spiritus sunt, qui tumultus excitant: qui gemitus & eiulatus effingunt: qui funus deducunt, qui tumbas, in quibus defunctorum corpora reconduntur, faciunt. Spiritus sunt, qui vniuersa hęc, atq; his similia efficiunt.

CAPVT

CAPVT III.

Demonstratur dictos tumultus non excitari à spiritibus hominum illorum, qui ex hac vita discesserunt.

RESTAT inquiramus, à quibus Spiritibus fiant, qui excitantur tumultus: An ab humanis, qui hanc vitam vna cum corpore, quod aliquando informarunt, reliquerunt; an ab Angelis: siue illi beati sint, siue æternis suppliciis; ita eorum meritis exigentibus, mancipati. 25.

26. Humanos spiritus ad viuos quandoque redire dubium non est. Id alias à nobis multis rationibus demonstratum est. Dubium quoque non est, plurima ipsos officiorum genera apud viuos exercere verùntamen exerceant quæcunque velint; in hoc certo genere operas suas ipsos collocare credendum non est.

27. Animorum post hanc vitam non illa propria conditio est, vt Dei apud homines sint ministri; aut quædam in hoc mundo pro officio munia obeant, ad sintque rebus humanis; sed vt laborum suorum fructus recipiant; & vel Deo perfruantur, vel debitas pœnas persoluant quocirca in hoc genere, quod agant, habent nihil. *De Apparit. Spirituum.*

28. Non sine singulari Dei prouidentia, atque dispensatione fit; vt viuorum rebus defuncti adsint: & quæcunque hanc Dei prouidentiam atque dispensationem requirunt, rarius eueniunt: at tumultus hi rari non sunt: sunt propemodum quotidiani.

29. Petebat Epulo, vt ad viuos rediret Lazarus, qui fratres miserandæ suæ conditionis admoneret, Quid hîc Abraham? Habent, inquit, Moysen & prophetas: audiant illos. vrget secundo Epulo: putat futurum, vt pœnitentiam agant, si quis ex mortuis ad eos venerit. Sed bene Abraham: Si Moysen, inquit, & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. An non idem dicere nos possemus? habere, inquam, viuos Moysen, & prophetas? habere tot præsentissimæ mortis exempla, & argumenta? opus non esse; vt ad viuos defunctorum animæ redeant, & instantis mortis commonefacianr? *Lucæ 16.*

30. Si sacras literas consulamus, reperiemus Deum per Angelos plerunque expediuisse, & non per humanos spiritus; si quando aliquid præter rerum ordinem fieri voluit. quorsum igitur humanorum Spirituum in hoc negotio, non autem Angelorum, siquidem aliquorum vellet, opera vteretur?

31. Cum tumultus hi atq; strepitus mortis quædam indicia sint; quibusnam humanis, Spiritibus ipsos excitandi officiũ tribuemus? ijne, qui cum Deo iam in cœlis vitam fœlicem agunt? an qui purgatorio igne expurgentur? an qui in inferno socij sunt Dæmonum?

32. Esto primi illi Deo reuelante cognoscere possint, qui ex hac vita discessuri sint; vt tamen ijs hoc Deus reuelet (cum ipsorum non inter-

fit) velitq; mortis hominum, quasi nuncios quosdam esse, quis credat.

33. Si quando rebus nostris Beatorum Spiritus intersunt, si esse exhibere solent; & ea quidem forma, vt agnosci facile possint: quemadmodum exempla eorum, qui apparuerunt, docent. at vbi strepitus hi excitantur, authores ipsorum conspiciuntur nunquam.

34. Adde quod beati spiritus vix vnquam rebus nostris αὐτοπροσώπως intersint: Angelorum opera fiunt, quæcunque per ipsos fieri videntur. Et qui in proprijs negotijs, cum maxime deberent, rebus nostris intersunt; interessent, quando ratio ipsos nulla vt aliorum intersint, cogit?

35. Eadem propemodum de secundis Spiritibus dici possunt. Neque enim credi debet, quod interitus hominum cognoscant: quare nec eorum vlla signa dare poterunt. Neque, quod appareant, quin status sui conditionem aperiant: quare nec hic quidquam negotij habebunt.

36. Sed & illi ad viuos redeunt, non vt rebus nostris prospiciant; verum vt suis consulant: vt nostras preces, inquam, atque patrocinia obtineant. Quando autem vel preces, vel patrocinia per eos, qui hos strepitus excitant, expetita?

37. Tertios similiter duæ causæ prohibere videntur. prima est, quod mortem hominum illi præscire non valeant, quòcirca nec vlla eius signa dare: altera, quod etsi scire valeant, id tamen officij nobis impendere non permittat odium nostræ salutis, quo flagrant maximo.

CAPVT. IIII.

Animas puerorum, & eorum, qui cum solo peccato Originali vel etiam veniali hinc discesserunt, non excitare hos tumultus & terrificationes.

38. SVnt præter eas animas, quæ vel in cœlo degunt, vel inferni pœnas experiuntur, vel expiantur igne purgatorio; aliæ quępam, eorum scilicet hominum, qui aut cum solo originali præfecto ex hac vita discesserunt, aut ad Originale venialia quædam; vt vocamus adiecerunt. Ab his tumultus hos excitari forte existimauerit quis, nec vt apparet, immerito.

39. Cum enim ad cœlum admitti illæ non possint, ob onus peccati, quod circumferunt: & peccatum ipsorũ inferni intolerabilibus cruciatibus vindicari (vt quidam volunt) non debeat; alicubi videtur ipsis inter homines aliquis esse posse locus, vbi quamuis non prorsus miseram, non tamen fœlicem vitam agant.

40. Hic verò, inter alia etiam hoc officij genus subire dici posse videntur; vt horum tumultuum sint authores: & quam ipsi secuturam mortem intelligunt, eandem externis quibusdam signis & argumentis hominibus reuelent ac denuncient.

41 Quid enim toto tempore agerent? quas occupationes haberent? diuinorum contemplatio illis negata est: naturalium rerum cognitio

apud

apud ipsos est parua: in ijs, quæ præsentes obseruant, se occupant: inter quæ, cum possit esse mors hominum; omnino & illam videntur posse præscire; & eandem his tumultibus denunciare.

42. Porro hoc officij genus eius potissimum animabus tribuendum videtur, quæ cum Originali venialia peccata coniunxerunt. Cum enim hoc nomine aliqua, sensus etiam, & non damni tantum, pœna dignæ sint; & illa, quæ in inferno infligitur, nimis pro leuibus istis erratis videatur grauis, nonne dici posset iustissimũ esse, si ad hanc hos tumultus & strepitus excitandi conditionem damnati dicantur?

43. Omnino enim spiritibus hisce pœna esse videtur, & certis locis astringi; & hominum conditiones morbosque obseruare; & viuentes mortis aliquorum certiores reddere; atque aliquando funebrem pompam instituere, & deducere.

44. Porro licet pœna hæc hisce Spiritibus tribuatur, non tamen putandum est omnium animas, qui huius conditionis sunt, hoc supplicij genus experiri. Non vnus est Deo modus, quo peccata vindicet. punit quosdam hac, quam nunc explicauimus ratione, cum alijs alias seruat rationes, sine vlla tamen eorum, qui puniuntur, iniuria.

45. Probabiliter hæc, vt videtur, dicuntur, vtrum vere, nullus facile, nisi cui reuelatio aliunde facta est, dixerit. Veruntamen & hæc assertio difficultatem habet non paruam: quod sequentibus docemus.

46. Primum omnium vnde cõstat inter homines Spiritus hos locum aliquem habere? Esto post extremum iudicij diem hunc mundum sint inhabitaturi, quod tamen iam inter viuos degant, nostrisque rebus interfint, dici potest, probari non potest.

47. Deinde, sit illis inter viuos locus aliquis: vnde viuorum mortes scire possunt, non solum quæ naturales sunt, verumetiam violentas? An forte naturas hominum plenè perspectas habẽt? vt quamdiu vitam suam propagare possint valeant cognoscere? Et si hoc detur, violentas mortes, quæ à libera procedunt voluntate, quomodo cognoscent?

48. Tertio, solet Deus Angelorum opera vti, si quid hominibus velit significatum. hinc nomen administratoriorum Spirituum adepti sunt. quod si igitur homines præsentis & instantis mortis monere velit, Angelorum, non horum Spirituum opera vtetur.

49. Addo, quod cum hoc strepitu quandoq; coniuncta sunt aliqua, quæ vix illis Spiritibus videntur posse tribui. Quis enim tantas ipsorum vires dixerit, quantæ requiruntur ad maximos, qui aliquando excitantur strepitus? ad grauissima, quæ obseruata sunt translata onera? Et si strepitus hos ipsorum vires excedere negare nolumus, quis ijs tribuat, vt pompam funebrem instituant, & suis viribus absoluant.

CAPVT

CAPVT V.

Bonis Angelos non esse authores tumultuum, qui prænuncij mortis esse solent.

50. CVm (vt dictum est) humanorum spirituum opera terrificationes hæ, & tumultus nocturni, de quibus disputatio est, non fiant, omnino necesse est ad Angelos ipsos transferri, quorum non paruę sunt in hoc sensibili mundo cum hominum genere occupationes.

51. Quoniam vero hi duplicis generis sunt, & contrariorum propemodum studiorum, vtri tribuendi sunt, grauem habet disputationem facilius est Discipulum hic quam Doctorem agere.

52. Qui rem ipsam, quæ agitur, velit attendere; cum mortis homines admonere videantur, atque ad reddendam Deo rationem vocari; facile sibi patietur persuaderi; hæc non improborum Spirituum, qui salutem hominum oderunt; sed bonorum, qui eandem amant; opera esse & functiones.

53. Qui vero omnia diligentius secum expendet, haud parum animo fluctuabit, quid, quod contrarias cogitationes facile admittet? Si enim in his terrificationibus propositum est, vt mortis homines admoneantur, quid quæso opus est tot tumultibus? tanto strepitu? pompa etiam funebri, & sexcentis alijs; cum multo facilioribus rationibus mortis homines admoneri valeant?

54. Accedit quod certum ex hoc strepitu argumentum subsecuturæ mortis peti non possit Quis enim, vtrum mortis indicium sit, dixerit; an ob aliam causam excitetur? Esto postquam mors subsecuta est, mortis signum fuisse dicere possimus; sed tamen dum excitaretur, mortis argumentum esse, certo dici non potuit.

55. Et vt mortis certissimum sit signum, nondum tamen cuius mortem portendat sciri potest. quapropter cum singuli, qui in vna aliqua familia commorantur, ad se illum pertinere existimare possint, frustra hæc à bonis Angelis opera susciperetur.

59. Alijs etiam locis, quam vbi is, qui mortem obit, strepitus hic auditus est, & auditur frequenter: alijs locis hæc mortis pronostica signa obseruata. Nouimus Moguntiæ mortuum, cuius mortem signa nõ Moguntiæ, sed alio loco, vbi is prædia sua atque facultates habebat, præcesserunt: quomodo vero hic absentibus signis, vt ad mortem si compararet, moneri potuit?

57. Quò tempore plerique animam exhalarunt, eodem ipso tumultus excitati sunt non raro. at vero tum eo fine excitatos esse, vt ad fel[illegible]em finem se homines præpararent. quis dixerit?

58. Et pessimorum hominum exitus hæc terriculamenta præcedunt, & sanctissimorum virorum. verum vt his, illis opus non est; ita prio-

res

res illis sunt indigni. Iusto enim Dei iudicio fit, vt qui viuentes obliti sunt Dei, morientes oblui scantur sui.

59. Præcedunt quoq; Infidelium mortes, nec eorum tantum, qui Christi fidem aliquando complexi fuerunt, sed & Iudæorum, atque gentilium, qui eandem impiè reiecerunt. Cum vero his nulla sit spes salutis æternæ reliqua, quid est necesse, vt de exitu suo, atque ex hac vita discessu, his argumentis moneantur?

60. Non igitur in hoc strepitu atque tumultu propositum est, vt ad felicem ex hac vita egressum mortales se comparent, quocirca concludi ex hoc argumento non debet, bonos esse Spiritus à quibus hi tumultus excitantur.

61. Alia etiam ad hanc rem confirmandam argumenta suppetunt. Administratorij sunt Spiritus Angeli boni: Deo, in quibuscunque illi rebus velit operas suas promptissime offerunt. Quod si igitur hic operas suas locant, necesse est id Dei fiat imperio atque voluntate. at cum ratio nulla dari possit, cur hos tumultus Deus excitari velit, & imperet, cur bonis Angelis ipsos iudicamus tribuendos?

62. Mirum est, quod cum tot & tam illustria bonorum Angelorum in sacris literis munia & officia describantur, huius tam frequentis & visitati nulla fiat mentio. Mirum est apud Sanctissimos Ecclesiæ Doctores tantum huius esse silentium, præsertim cum inter ipsos reperiantur, qui integra volumina de bonorum Spirituum functionibus posteritati reliquerint.

63. Leuitatis præterea nec pauca nec leuia cum his tumultibus coniuncta sunt argumenta. vt verò horum authores Angelos dicamus, qui perpetuo Dei faciem contemplantur, res est indignissima.

CAPVT VI.

A malis Spiritibus tumultus qui mortis sunt iudicia, excitari.

FAcile ex dictis quilibet concluserit, malorum Spirituum opera terrificationes & tumultus, qui mortis prænuncij sunt, excitari. Cum enim necesse sit a Spiritibus illos fieri: & nec illi qui in humanis adhuc corporibus degunt, nec qui corpora reliquerunt, & alibi versantur: nec Angeli boni ipsorum authores sint, quibus quæso, nisi malis Spiritibus ipsos tribuemus? 64.

65. Et profecto nihil est in hoc genere, quod ab illis Spiritibus sit alienum, aut eorum vires excedat: multa etiam sunt, quæ, vt hæc ipsis officia tribuamus, vehementer persuadent. Docemus vtriusque.

66. Necesse est, vt Spiritus, qui horũ tumultuũ sunt authores, præsentes sint iis locis, vbi tumultus excitantur. Necesse est, vt tumultus excitare valeant. Necesse, vt possint funebrem pompam instituere. Necesse, vt possunt scire futuros hominum ex hac vita quos indicant, egressus. quid horum in malis Spiritibus desideratur?

67. Locis ijs, vbi tumultus excitantur, posse spiritus præsentes esse nemo negaũerit. Magna ipsorum vis est: magna potestas. quocunque propemodum volunt, se loco sistere possunt. Ad quemcunq; ipse aditus patet.

68. Valent quoq; tumultus hos excitare. In corpora quid nõ valent? Nonne omnia propemodũ ipsorũ virtuti subiecta sunt? nonne quocunq; volunt vi sua impellere possũt? quocirca cũ tumultus hi ex corporũ collisione oriãtur; & hos poterunt, & multo grauiores excitare.

69. Sic in ipsorũ potestate est funebrẽ pompã cõponere. Neq; n. tantũ corpora mouere possunt externa, possunt quoq; sibi assumere, & quibus libet, vsibus accõmodare. possunt quascunq; formas illis dare. quãquam pompã funebrẽ nõ effictis solũ corporibus representãt, sed sensuum quoq; nunc externorũ nunc internorũ fascinatione & illusione.

70. Et cum ingenio sint sagacissimi, plurimumque rerũ experientia valeant: norint præterea rerũ naturas, & hominũ complexiones exactissimè; quis dubitabit quin hominũ plerunque interitus prẽcognoscant? præsertim cũ & Medicorũ quidã experiantur, qui ea scientia polleant, vt non diem solum sed horam quoque mortis valent prædicere.

71. Vt vero quod possunt velint & hos tumultus excitent, omnino credendum est. Multæ sunt causæ, quæ, vt hic operas suas locent, ipsos mouere videntur.

72. Primum, hæc occupatio aliquod miseriarum ipsorum leuamen videtur; dum ad suas pœnas tanto minus attendunt, quanto magis externis his ludificationibus distrahuntur.

73. Deinde libidini suæ quadam ratione sic faciunt satis. Cum enim hominibus molesti esse percipiant, libenter quas habere possunt, ipsos molestandi occasiones arripiunt. quocirca & hanc, vbi non parua trepidatio incutitur, non abijciunt.

74. Lucrum etiam inde aliquod sperant. Neque enim ipsis tã hîc propositum est, vt mortem futuram denunciant, quam vt homines eo ducant, vt diuinum quoddam numen credant, quod horum tumultuum causa existat, cui ob id honorem aliquem, cum animarum suarum detrimento, impendere sit æquissimum.

CAPVT VII.

Tumultus siue terrificationes mortis prænuncias excitari à dæmonibus, qui sunt ordinis inferioris.

75. DÆmonum opera strepitus hos excitari, & mortis prænuncia ieri demõstratum est: quorum vero hoc proprium sit studium, an sine discrimine omnium, an certorum tantum, non iniucundam habet quæstionem. Neque enim dæmonum omnium vna est conditio; neque omnium eædem occupationes. Grauiora alij alijs habent studia, prout alij alijs plus valent ingenij acumine, agendi potestate, nocendi voluntate.

76. Etenim

76. Etenim extra controuersiam est, ex omnibus omnino ordinibus, quos aliquando cõmmunes cũ bonis Angelis habuerunt spiritus illos cecidisse. extra controuersiam est per peccatũ naturam non sublatam. quemadmodum igitur ante peccatũ non æqualis omnes fuerunt perfectionis, ita neque post peccatum vna naturæ omnium conditio est.

77. Conditionem naturę, studia & functiones sequuntur. Hoc quemadmodum in rebus omnibus certum est; ita in his spiritibus nullam habet dubitationem. Quocirca non eædem inferiorum, quæ superiorum sunt functiones. grauiora hi officia subeunt; illi leuiora munia exequuntur.

78. Quod asserimus, facilimum fuisset in spiritibus deprehendere; si à gratia, in qua creati erant, non excidissent. iam postquam à gratia exciderunt, etsi non omnino, quam antenus tamen suos ordines seruant, & pro naturæ conditione opera faciunt.

79. Et dictis vtrunque licebit conijcere, quosnam spiritus horum tumultuum authores constituere debeamus. Attendamus principio quasnam spiritus mali apud viuos occupationes habeant; tum deinde hoc ipsum de quo præsens est disputatio, opus inspiciamus, & non ita difficile erit de tumultuum nocturnorum authoribus statuere.

70. Occupationes dæmonum cum hominum genere sunt variæ. Nos pro instituti nostri ratione vniuersos in duas classes possumus partiri; vt alias maioris momenti, & quasi munus principales dicamus; alias leuioris, & quasi minus principalis.

71. Priores illæ ex triplici causa definiuntur. ex conditione personarum cum quibus illæ suscipiuntur; ex rerum, quæ suscipiuntur mole & difficultate: denique ex grauitate mali quod spiritibus vt hominibus incommodent, propositum est. vbi hæc desiderantur, hoc est, vbi neque dignitas adest personæ, neque negotij perficiendi difficultas: leuia etiam proposita sunt mala, leuiores Dęmonum occupationes dicere licebit.

82. In priori genere fuerunt tentatio Christi in deserto habita; excidium 185000. Assyriorum in exercitu Sennacherib vna nocte deletorum; & primorum nostrorum parentum in paradyso infelix casus. In posteriori sunt nocturnæ ludificitiones, intempestiua terriculamenta, & cum sordidis hominibus turpes & obsceni congressus.

83. Priores exercent vt perdant: posteriores, vt vexent & molesti sint. Quemadmodum in hac vita, dum bella geruntur, non semper aduersæ parti propositum est, vt hostes perdant; sed quandoq; dum perdendi facultas non datur, iuuat molestos esse, terrere, timorem incutere: ita humani generis iuratissimis hostibus, dæmonibus non semper propositum est vt perdant, sed quandoque etiam vt molesti sint, & vexent.

84. Hæc Dæmonum studia. hæ cum hominum genere occupationes. Quas nunc quibus tribuemus? quas alias, quam quas ipsi sibi Dæmones

deferri volunt? Quis porro dubitauerit, quin priores illas postulent illi altiorum ordinum, posteriores autem inferioribus relinquant. Pro conditione personarum haud incommode officiorum distributio, constituitur.

85. Superbi admodum sunt Dæmones, illi inprimis, qui naturæ præstant dignitate. Quocirca quamuis nocere omnibus cupiant, non tam facile tamen leuioris conditionis homines aggredientur: cum ijs potius bellum suscipiunt, qui in altiori sunt sanctitatis aut dignitatis gradu. quoniam si hos vincant, specioſior ipsorum est triumphis, si vincantur, minor est confusio, quam timent & horrent.

86. Iidem illi superiorum ordinum Spiritus ardua magis atque difficilia in se suscipiunt onera. Id illorum postulant naturæ vires. id ad maiorem cumulum gloriæ ipsorum, quam studioſè quærunt fiant: minor etiam hinc, si ex voto res non succedat, timetur confusio.

87. Eorundem est grauius erga humanum genus odium, quam aliorum, qui inferiorum sunt ordinũ. at odium sequitur nocendi studium. itaque fit vt his maxime vt noceant, & maiora mortalibus detrimenta offerant, propositum sit.

88. Leuia igitur illa munia, & minores occupationes inferioribus Spiritibus relinquuntur, in quibus vel personę dignitas non postulat aliquem ex illis superiorum ordinum, vel leuia expedienda sunt munia, vel non ita magna proposita sunt mala.

89. Hęc cum ita sint, non male quis concluserit inferiorum ordinum Dæmonum opera hos, de quibus quæstio est tumultus excitari. Nam vt ipsos in priorum occupationum genere ponamus, & superiorum ordinum Spiritibus tribuamus, neque postulat personarum dignitas, quarum causa ipsi excitantur, neque rei quæ hic suscipitur difficultas, neque magnitudo mali, quod in his propositum est.

90. Esto etiam ad Principes viros hi tumultos pertineant, eorum funera & mortes portendant: sed tamen nulla dęmonibus cum ipsis concertatio, nulla pugna. Alijs quandoque, etiam sordidis & abrectæ conditionis hominibus principum mortes his prænuncijs insinuantur.

91. Sic in his excitandis non opus est aut arte magna, aut magnis viribus. Minimis inter omnes Spiritus ea arte pollet, & ijs est viribus, vt hos atque multo maiores excitare valeat. Minimus quoque ingenij vi qua præditus est, imminentem hominibus mortem, quæ his tumultibus significatur, præscire potest.

92. Malum denique hic magnum propositum non est. præcipua causa, cur opera hæc à Spiritibus suscipiatur, illa videtur, vt hominibus terror incutiatur. qui quamuis malum aliquod sit, tantum tamen non est, vt illud sibi superiorum ordinum Spiritus reseruare debeant.

93. Sed & alias ob causas hæc studia inferioribus Spiritibus tribuerim. Dubium non est, tantum horum peccatũ non fuisse, quantum fuerit Spirituum superiorum ordinum. Itaque nec tanta ipsorum pœna,

quanta

quanta ſuperiorum: quoniam pro delicti quantitate, modus pœnarum. Cum igitur non parua dæmonum pœna ſit inferni carcere concludi, profecto, ſi aliqui ab hac liberi ſunt (vt ſunt) erunt inferioris ordinis Spiritus: ſi aliqui hanc ſuſtinent, ſuſtinẽt illi, qui ſuperiorũ ſunt ordinum. At vt in inferno ſpiritus ſint; & hos tumultus excitent, fieri nõ poteſt. qui igitur nondum ad Inferni carceres damnati ſunt, (vt inferiores illi videntur) non inepte horum tumultuum authores iudicantur.

94. Ordo reſpulcherrima eſt, & tam in rebus omnibus neceſſaria, vt nec vlla, ſine ipſo poſſet conſiſtere Reſpulica: nec qui perditiſsimis ſunt moribus, ſine ordine viuere poſsint. Erit igitur etiam inter dæmones ordo quidam. Et quemadmodum in Rebuſpub. ita in dæmonum regno alij erunt, qui mandata dant, alij qui mandata exequuntur & imperata faciunt. At prius illud ad ſuperiores pertinet; poſterius (in quo genere ſunt hi tumultus) ad Inferiores.

CAPVT VIII.

Ab inferiorum ordinum dæmonibus illis, qui ſingulorum hominum quaſi proprij ſunt, & qui dij domeſtici ſine Lares olim vocabant, tumultus & terrificationes excitari.

NOndum quærendi finem facimus. Ex quæſtionibus quæſtiones ducimus. Quærimus, Poſsintne certis inter eos qui inferiorum ordinum ſunt, ſpiritibus, hi tumultus, & hæc mortis prænuncia ſigna tribui. Curioſius forſitan ſingula ſcrutamur: ſed tamen non ſine ratione. Quid enim tam ad nos pertinet ſcire, quam quæ circa nos geruntur, & propemodum in vſu ſunt quotidiano? 95.

96. Porrò hîc certi certò non poteſt conſtitui quicquam, niſi prius ponatur proprios quoſdam adeſſe ſingulis hominibus malos genios; & præterea dæmones quoſdam domeſticos, quos Lares vocãt. Qui hos admiſerint, non video cur eoſdem horum tumultuum authores negare debeant, præſertim cum quæcunque hactenus dicta ſunt? in eos conuenire; & quęcunque cum his tumultibus coniuncta ſunt, per eos commodius, quam per illos alios fieri poſſe videantur.

97. Et genios quidem Gentiles admiſerunt; atque duos ſingulis hominibus attribuerunt; alterum bonum, alterum malum. illum virtutis & æquitatis dixerunt authorem: hunc peccati. Hinc illud Empedoclis apud Plutarchum; duplices, quæcunque malum excipiunt ducuntque ſortes, diuina terreſtriſque. Vide Aug. Eugub. de perenni philoſophia lib. 8. cap. 4.

98. Conſentiunt cum Gentilibus ex parte Chriſtiani. Nam bonum genium ſiue tutelarem Angelum ſingulis hominibus à Deo datum agnoſcunt: conſentiunt, inquam cum Gentilibus, non tamen à gentibus inſtituti, ſed ſacrarum ſcripturarum auctoritate, ſed ſanctiſsimo-

rum Patrum consensu, & magnis rationibus inducti: vt optime dixerit B. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.

99. In altero etiam (malo inquam admittendo) haud ita difficiles sese præbent Origines & Casianus: & vt bonum ita singulis malum Angelum adesse & credunt & probant. Orig. homil. 35. in Lucam. Casianus coll. 7. cap. 17.

100. Verum displicet hæc sententia reliquæ turbæ Doctorum: sed tamen, ni fallor, ita displicet, vt malos spiritus, qui singulis hominibus adsint, non tam negare, quam quodam modo admittere videri possint?

101. Negant à Deo singulis hominibus malos Angelos attributos; quemadmodum singulis ille bonos attribuit. putant non cadere in diuinam bonitatem, quæ tãto opere hominum salutem desideret, vt nobis hostes assignarit, qui nos infestent, nos de virtutis arce deijciant, nos à Deo Optimo & summo bono separent. Existimant Dæmonum odium erga humanum genus satis esse magnum: & per se, ipsos promptissimos esse & paratissimos ad nos molestandos; nec Dei in hoc egere aut imperio, aut ordinatione.

102. Hæc dum confitentur, non negant hos spiritus, sed à Deo negant ad hoc esse delegatos & ordinatos. significant sua sponte & vltro se spiritus offerre, & hominibus adiungere. quod non facile damnauerit, qui Dæmonum naturam conditionemque probe perspexerit.

103. Solent Dei opera æmulari dæmones: quæcunq; propemodũ Deus facit, conantur effingere. Res certior est, quam vt probari debeat. Dicuntur ob hanc causam simuæ Dei, quidni igitur & in hoc velint imitari Deum? vt quemadmodum Deus hominibus spiritus adiungit bonos qui protegant atque defendant, ita illi velint adiungere malos & peruersos, qui molestant & perdant?

104. Confirmat hanc rem antiquissima, & propemodum ab omnibus recepta opinio, qua creditur adesse in extremo vitæ tempore singulis mortalibus non bonum solum modo angelum, qui animam ad cœlum deducat, si hinc in Dei gratia decedat; verum etiam malum, qui ad inferos pertrahat, si illa ipsius sint demerita. Nam sicuti bonum, intelligimus illum, qui à natiuitate singulis à Deo est concessus, ita non male videmur dicere malum esse, qui singulorum studijs pijs semper contrarius fuit, & ad deteriora sequenda impulit.

105. Si ex difficultate quam in virtutum studio sentimus, rem hanc definire velimus; aut etiam ex pondere, quo ad malum trahimur: Si ad molestias, quas plerunque in somnis experimur, nocturnasque illusiones attendere: si expendere, quæ sepissime occurrunt, peregrinas cogitationes, facile patiemur nobis persuaderi, vt hos inimicos Spiritus credamus.

106. Sunt, qui de hoc spiritu intelligi autumant, quod Ecclesia postulat hostem suum comprimi. Oratio ex D. Ambrosio desumpta est, & sic habet: Te

Te lucis ante terminum *Procul recedant somnia,*
Rerum Creator poscimus; *Et noctium phantasmata.*
Vt solita clementia, *HOSTEMQVE nostrum comprime,*
Sis præsul ad custodiam. *Ne polluantur corpora.*

107. Et hactenus de proprijs singulorum genijs. Sunt qui hos à Laribus non distinguunt. At Veteres discrimen aliquod inter vtrosque fecisse inde colligitur; quod Lares domibus præesse crederent, quemadmodum ex Aulul. Plauti cõlligitur, vbi in hunc modum quidam ex ipsis loquitur. Ego Larsum, familiaris ex familia, vnde exeuntem me aspexistis.

108. Nec de his apud veteres fuit dubitatio. Id vel festa Compitalia, à compitis; in quibus peragabantur, dicta, & à Seruio Tullio ipsis instituta, sufficienter demonstrant. Quid, quod omnibus propemodum domibus eorum simulachra habuerunt, & religiosè ipsos coluerint?

109. Sed & antiquissimus scriptor Tertullianus gentibus objcit (cap. 13. sui Apologetici) quod indignè eosdem tractauerint, & in suppellectilis ratione habuerint; vt proinde ab ijs oppignorati sint, aut venditi, prout cætera instrumenta domestica.

110. Sed nec nostris temporibus eos deesse putarem, nec à veritate aberrare, qui eosdem esse dixerint, quos Germani Hensemenle vocitant. Quidquid sit multorum hæc sententia est. nec raro quæ Lares hos prodiderunt, obseruata sunt argumenta.

111. Sic nec temere eos damnarẽ, qui aqua lustralis vsum esset ad hos abigendos valere volunt, hocque Ecclesiam intelligere, quando orat, vt creatura aquæ seruiat ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, & vt in domibus, vbicunque fuerit aqua aspersa, non illic resideat spiritus pestilens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, & effugiat quidquid aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti.

112. Cæterum quamuis Lares hos Christiani admittant, quemadmodum olim Gentiles, longe tamen alia est Christianorum, quam Gentilium de ipsis opinio. Gentes ipsos in Deorum numero habebant: Christiani non alio, quam Dæmonum loco, qui diuinum honorem sacrilegè, vbicunque possunt, suffurentur.

113. Et quamuis virorum nomine compellant, & Hensemenle vocent, non tamen viros esse agnoscunt. hoc illis nomen, quia sub viri specie, & quidem pigmei, quandoque conspiciuntur, tribuunt.

114. Cognoscunt etiam nulla habere propria corpora, sed esse prorsus incorporeos spiritus. quocirca si quando in corporibus se spectandos exhibent, ex aere, aliaue materia existimant illa componi, & vbi aliquandiu ijsdem vsi fuerint, rursus deponi.

115. Nullum ab his auxilium expectant: nullum censent deferendum honorem. Non affectant illorum societatem: respuunt communionem. omnibus omnino angulis cupiunt esse profligatos & expulsos.

116. Porro

116. Porro Lares, hos atque proprios singulorum malos genios tumultuum & ludificationum authores esse, quid prohibet? Dæmones sunt, vt diximus, qui hos tumultus excitant; & dæmones sunt hi spiritus; atq; Lares; & quidem ex infimis dæmonum ordinibus, quales etiam harum terrificationum authores astruximus.

117. Et cum hi nobiscum versentur semper; qui quæso melius quam ipsi, omnia nostra scire possunt? vt proinde mirum non sit, signa mortis nostræ, etiam violentæ, satis certa dare posse, qui ex consuetudine longa, quam nobiscum habuerunt, exitum nostrũ prę scire potuerunt.

CAPVT. IX.

In præcedentia Capita de terrificationum & tumultuum authoribus Censura.

118. DVplex eorum quæ fiunt, genus est. Quædam vt plurimum accedunt, & ordinariè fieri dicuntur: quędam varius, & dicuntur præter communem rerum ordinem euenire. Distinctio hæc, vt in rebus naturalibus locum habet, ita hîc non est reijcienda. Ibi ordinariè fit, vt nouem mensibus vterum gestet fœmina: quod si quandoq; hæc lex fallat: & citius vel tardius fœtum edat, dicitur aliquid præter verum ordinem accidere. in hoc tumultuum genere ordinaria sunt, quæ hactenus diximus: si quæ aliter eueniant, extraordinariè fieri dicemus.

119. Extraordinariè vero hîc tria fieri videntur, primo non semper tumultus hos ab ijs spiritibus excitari putandum est, qui singulis quasi sunt proprij. quandoq; ab alijs excitantur. Secundo, quandoque superiorum ordinum dæmones hic operas suas locant. Tertiò, quandoque etiam bonorum Angelorum studio excitantur.

120. De primo vix dubium est. Verisimile est, quod qui eiusdem sunt ordinis, eadem quandoq; studia tractent, & officia obeant; præsertim si vnus alterius operam non ægre ferat. vterq; etiam in illa, quę suscipitur, cum voluptate versetur. quæ cum hîc locum habeant, vix dubium, quin aliquando alij, quam proprij, genij hic occupentur.

121. Fortè etiam necesse est quandoque alios aliquos prę ter proprios hic operam suam locare: tum maxime, quando vnius opera minime sufficere videtur, ad omnia illa perficienda, quæ in his terrificationibus sæpe obseruantur. Nam & in varijs ac plurimum dissitis locis eodem tempore aliquando fiunt, & eregia quandoq; instituitur pompa funebris, quæ plurium Spirituum operam requirunt.

122. Sic Superiorum ordinum spiritus operas suas hîc locare credi potest. Libido siquidem humanum genus vexandi, studiumq; nocendi, quæ ipsos nunquam deserunt, efficiunt, vt nullũ, quamuis vilissimum, officij genus esset superiores dæmones fugãt. Vt sordidi mercatores & auari, ex re quauis lucrum, ita illi vndecunque & vbicunque possunt, hominibus detrimenta afferre quærunt.

123. Quod

123. Quod dicimus, pluribus exemplis ex Sanctorum historijs depromptis confirmari potest. plurima probant præcipuos spiritus & sordida officia subiuisse,& ad inferiorum conditionem se demisisse.vt interim non dicatur hanc occupationem, suppliciorum, quæ patiuntur grauissima,aliquod ipsis (quod petunt)esse leuamen.

124. Bonorum etiam Angelorum opera hęc mortis iudicia quandoq; dari ex duobus videmur posse coniicere. primum ex eo,quod non raro Deus quibusdam significarit adesse tempus, quo ex hac vita discessuri essent:quod vt nonnunquam occultiori quadam inspiratione factum est,ita his signis,bonorum Angelorum, quibus Deus vti solet, opera aliquando accidere,& accedisse,non sine ratione dixerimus.

125. Ad hæc accedit,quod etiam cum sanctissimorum hominum morte signa hæc aliquando coniuncta sint; & locis non prophanis solum, verum etiam sacris obseruata ijs quoq; exhibita, qui continuum cum diabolo bellum gesserunt:sed nec raro sine fructu sint peracta,atque significatione sanctimoniæ eorum,quorum obitum præcesserunt. Quis vero hîc malignos spiritus operas suas locasse credat?

126. Veruntamen hæc vt diximus rariora sunt.quę superiùs definita, frequentius accedunt. Quapropter quemadmodum paucorum priuilegia cõmunibus legibus non deregant,ita quamuis exceptio dari possit,negari tamen non debet,malorum spirituum & præcipue proprio-rum geniorum opera tumultus hos excitari,& signa mortis dari.

CAPVT X.

De finibus qui dæmonibus in tumultibus nocturnis & terrificationibus propositi sunt.

DE authoribus & causa efficiente tumultuum nocturno- 127.
rum & terrificationum diuctm est: restat,vt eorundem fines inuestigemus atq; effectus. Ibi quæritur, quid spiritibus in his tumultibus sit propositum:hîc vtrum tumultus mortis vera signa sint, illamque efficiant. priùs illud hoc Capite,posterius sequenti explicandum est.

128. Fines varij dęmonibus hîc propositi videntur.primum omnium opera hęc ab ipsis suscipitur,vt hominibus terrorem incutiant,& molestiam aliquam offerant. Et ad hoc vix quidquam tantũ, quãtum si tumultus conducit, tum quod nocte plerumq;,quæ per se horrorẽ affert, excitentur,tum quod cum morte,quæ terribilium omnium terribilissimum est,sint coniuncti,tum denique quod causę ipsorum & rationes vix intelligantur.

129. Videntur deinde excitari,vt futuram mortem denuncient. quoniam cum morte coniuncti sunt, atque ea, quæ ad funebrem pompam pertinent,cum his quandoq; effinguntur, vix possumus dubitare,quin vt imminentem mortem iudicent, suscipiantur.

130. Tertius finis est,vt hac ratione fidem sibi apud mortales, dæmo-

nes comparent; habeanturque veraces si quando alia prædicunt; cùm in hominum mortibus indicandis nō fallant. Etenim vt hanc opinionem apud mortales habeant, vehementer nec sine causa, adlaborant.]

131. Accedit his quartus, qui ex communi Dæmonum studio petitur: quod cum sit homines à Deo abducere, erroribus inuoluere, & cultum qui vero Deo debetur, sibi arrogare, omnino Dæmonibus hic illud propositum est. Cupiunt scilicet nequam spiritus homines in has cogitationes inducere, vt numen aliquod esse credant, à quo hi tumultus excitantur, & huic tandem diuinum honorem impertiantur.

132. De quarto hoc fine res clara est. hoc præcipuum esse Dæmonum studiū sacræ docēt literæ. vt Leo rugiens circumeunt, quærentes quos deuorent. Nec hoc frustrati sunt apud eos, qui Lares Deos quosdam domesticos arbitrati sunt, ijsque diuinam honorem detulerunt, & deferendum decreuerunt, vt de Seruio Tullio testatur Plinius lib. 37. cap. vltimo.

133. Tertium finem vehementer desiderant, ob ingens quod inde sperant lucrum. Sic scilicet eos qui occultorum cognitionis desiderio tenentur (quorum haud paruus numerus est) facilius ad se pertrahunt, atque vt ipsorum consilio & auxilio, cum præsentissimo animarum detrimento vti velint, persuadent.

134. Ad primum idem nocendi desiderium excitat, quod quia maximum & ardentissimum est, quascunq; quibus incommodare possunt, rationes acceptant, quamuis etiam grauia damna afferre nequeant. etiam hoc sibi nomine placent, si molestiam afferre, & quietem interturbare valeant.

135. De secundo fine dubitauerit forsitan quispiam; quod vix fieri posse videatur; vt hominum mortes, & illa, quæ cum funere coniuncta sunt præuidere valeant. Verum dubitandi locis nullus erit, si, quot spiritus illi rationes, ex quibus ista præscire queant, velit expendere.

136. Duplices hominum sunt mortes: naturales & violentæ. vtrasq; Dæmones possunt præscire: vtrasque prædicere & indicare,

137. Possunt præscire naturales, quia sagicissimi sunt, tum ob incredibilem solertiam & subtilitatem mentis; tum ob eximiam multorum milium annorum experientiam; tum denique propter perfectam rerum omnium naturalium absolutamq; scientiam; qua vt res alias, ita hominum naturas, corporum affectiones, & studia, ex quibus mors accidit, intelligunt.

138. Violentas partim Dei reuelatione per bonos Angelos facta cognoscunt; (nouum quam enim Deus ad mortem homini inferendum Dæmonum opera vtitur) partim ex clandestinis consilijs, verbis, scriptis, alijsque signis deprehendunt; partim etiam ex præparatione illarum rerum, quæ ad mortem afferendam adhibentur.

139. Hæc grauissima B. Augustini confirmat authoritas. Sic enim loquitur lib. 2. de genesi ad literam cap. 17. spiritibus quædam vera de tempo-

temporalibus rebus nosse permittitur: partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent: partim experientia callidior propter magnam longitudinem vitæ: partim à sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu ipsius reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ synceritate distribuit. Aliquando autem ijdem nefandi spiritus etiam quę ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Hæc Augustinus.

CAPVT XI.

De effectis nocturnorum tumultuum & diabolicarum terrificationum.

QUam quæ horum tumultuum & terrificationũ virtus sit, quidque ipsi efficiant, inquirendum est. Nam cum duplicia signa sint; & alia quidem tantum in notitiam alicuius inducant, id vero quod significant, non efficiant: alia vero sint, quæ quod significant, efficiant; vtrum in hoc, vel illo genere tumultus hos constituere debeamus, quæstio est. 140.

141. Et quidem in priorum signorum numero eos esse, dubium non est. Verum cum hæc signa duplicia sint, & quædam aliquando fallant, quædam nunquã fallant; qualia quæso sunt hæc, quæ mortis dicuntur esse indicia? suntne ita recta, vt fallam nunquam, an fallunt aliquãdo?

142. Quod quæritur ex conditione eorum, qui horum tumultuum authores sunt definiendum est. Hi cum hominum mortes præscire, vt plurimum, valeant, vt plurimum fit, vt ad signa hæc atque tumultus ab ipsis excitatos mors sequatur.

143. Sed tamen fallere quandoque dubium non est.

144. Hoc primum in ijs, quibus violenta mors affertur, manifestum est. Hæc enim cum ab hominum pendeat voluntate; quemadmodum dæmones hominum cogitationes & voluntates perfectè non intuentur, ita neque possunt subsecuturæ mortis certa signa dare.

145. Sed & quæ naturaliter homini mors accidit, impediri potest; si non ex alijs causis, ex Dei profecto voluntate, cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt. Potest ille vitam, præter naturæ ordinem, dare: potest ab inferis ad vitam reuocare: quidni posset eandem præter naturæ leges prorogare?

146. Quapropter quod ex causis naturalibus mortis argumentum, à Dæmonibus sumitur, licet magnum robur habeat, propter vires naturæ, quæ paruæ non sunt; quia tamen Deo ad nutum natura obedit, tantum argumentum sumi nõ debet, quod nullam patiatur exceptionem.

147. Verum alterum propositæ quæstionis membrum examinemus, atque vtrum tumultus hi, non signa solum; sed etiam efficacia signa futuræ mortis sint, discutiamus. Sic enim plerunque indoctum vulgus iudicat, vt quæ rei alicuius sunt signo, illa existimet & causas eiusdem esse, & efficacia signa.

148. Dupliciter autem intelligi potest signa hæc mortis causam esse. primum quidem, vt ipsa per se nuda sumãtur, nulla habita ratione authorum, à quibus fiunt: deinde vt cum ipsis, eorum authores coniungantur: atque illi mortem efficiant, quam signa ipsa iudicant.

149. Primum nullo modo dici debet. Tumultus hi, & quæcunque obseruantur signa, mortem non efficiunt, nec efficere valent, propterea quod nullum inter causas, quæ mortem afferre solent, locum habeant.

150. Potest homini mors extrinsecus, potest intrinsecus accidere. Intrinsecus mortis causa sunt defectio caloris naturalis, aut primogenij humoris, quem radicalem vocant: immoderata item vis passionis & perturbationis animæ: præterea propria voluntas in ijs, qui præsentis vitæ tedio,, aut malorum quibus premuntur impatientia, aut quia instantem calamitatem auertere cupiunt, violentam sibi mortem consciscunt: immodici item cibi & potus, venerisq; intemperantia: denicq; nimius labor & defatigatio corporis.

151. Extrinsecus eadem mors contingere potest, vel ab homine aut bestijs, aut dæmonibus, aut deo per angelos: vel ex cibo potuq; lethali: vel ex vtriusque, cibi inquam potusue defectu: vel ex intemperie cæli: vel casu aliquo fortuito. Næ causæ extrinsecæ mortis. Quid verò vel cum his, vel cum superioribus causis tumultus nocturni commune habent? Sunt quidem extra hominem; sed tamen ex eorum genere, quæ mortem afferunt, non sunt.

152. Sed nec idcirco causæ mortis dici debent, quod dæmones cum his studia sua coniungunt, & ita hominibus mortem afferant: primum quidem, quia non vt instrumenta mortis signa hæc à dæmonibus assumuntur; deinde quia non ipsi dæmones, dum hæc signa efficiunt, vitam nobis adimunt: solum his denunciant terminum vitæ adesse.

CAPVT XII.

Inquiritur modus quo tumultus excitantur, & terrificationes nocturnæ fiunt.

153. DVobus modis intelligi potest, tumultus hos à spiritibus excitari. Alter est, vt dicantur Spiritus primum corpora assumere, humanis corporibus similima; atq; ita, velut homines quidam, malleos, atq; alia instrumenta, quibus strepitus excitantur, tractẽt. Alter, vt nulla corpora assumant, & nihilominus hos strepitus excitent.

154. Vterque modus, his, quemadmodum alijs spiritualibus creaturis, possibilis est. Ratione ad hanc rem probandam opus non est. prioris tot suppeditant exempla sacræ literæ, quot opus est ad hanc rem etiam refractarijs persuadendam. posteriorem ipsis possibilem esse probat vel solius cæli conuersio, quod à Spiritibus mouetur, quamuis corpus, vt mouere valeant, nullum assumant.

155. Nec modo vterque modus possibilis est spiritibus: etiam vterq; æque

æque est facilis. Corpus assumptũ nihil in hoc negotio spiritus cunar. Tã in corpore, quã extra corpus sunt expediti. Id discriminis est, quod in priori maior videatur esse occupatio; dum prius corpus assumitur, quam tumultus excitetur: in posteriori minor, vbi corpus assumitur nullum.

156. Sed quem modum in his tumultibus excitandis spiritus seruant? Dubium non est, quin nonnunquam in assumptis corporibus ipsos excitent: quia non auditi solum, verum etiam visi sunt sub humana specie spiritus, horum tumultuum authores.

157. Interim tamen, vt plurimum fieri dixerim, vt nullum corpus assumant, & sola sua ingenita ipsis vi atque potestate, absq; vllius assumti corporis subsidio eosdem efficiant.

158. Cum enim propositum spiritibus hîc sit, vt hominum mortes iudicent: ad hoc vero necesse non sit, vt sub spectabili forma sese exhibeant (solus tumultus, qui ad aures defertur, id abunde præstat) quid quæso assumpto corpore opus est?

159. Quid quod quæ in hoc strepitu, in vsu instrumenta esse videntur reuera in vsu non sint? & quæ moueri iudicantur corpora, reuera non semper moueantur? Quod dicimur hoc est: Non necesse est, vt si nobis audire videamur deferri asseres, aptari tumbã, quę cadauer mortui excipiat, & eandem malleis claudi; hæc reuera fiant; id est, & asseres deferantur, & aptetur tumba, & malleorum sit vsus: necesse hoc non est. Quemadmodum re ipsa spiritus corpora humana nõ habent, dum humana specie se spectandos exhibent; ita non semper ab illis rebus sonus excitantur, à quibus excitari videtur; nec semper corpora mouentur, quæ moueri videntur.

160. Huius si non aliud argumentum esset, hoc sufficeret quod mox postquam sonum auditu percepimus, si ad locum, vbi ille excitatus est, aduolemus, nihil eorum, per quę sonum excitatum iudicauimus reperiamus: inueniamus etiam nihil in ordinatum, sed omnia suis locis, & ordinibus optimè composita.

161. In aëre igitur, & per aërem hîc fiunt omnia. illum ita collidunt spiritus, vt nunc delatorum asserum, nunc pernitientis mallei, nunc alios atque alios sonos reddat.

162. Hanc rem confirmat obtusior sonus, qui in his terrificationibus notatur. quamuis enim proximo loco excitetur, à longe nihilominus fieri videtur; nec ita, vt ille, qui malleorum ictibus fit, aures percellet.

163. Verum enimuero, etsi malleorum & asserum sonus non sit, qui excitatur; verus tamen est sonus propterea quod quæcunque ad sonum perficiendũ necessaria sunt, hîc reperiantur, corpus inquã percutiens, corpus percussum, atque medium, in quo sonus excipitur, & ad aures defertur.

164. Tria tamen hæc non reipsa semper sunt distincta. Non aliud est semper quod percutitur corpus, aliud quod percutit, aliud medium in

vtriusq; corporis collisione excitatus strepitus recipitur. Mediũ nunc cũ pernitiente, nunc cũ percusso idem est: sæpe etiam cũ vtroq; idem.

165. Potest dæmon vel duas inter se aëris partes collidere; atque tum ex vtriusq; collisione exortus sonus, in medio, quod à pernitiente & percusso corpore non differt, excipitur. Potest quoque vel alio quopiam corpore verberare aërem, vel aërem ad aliud solidum corpus allidere, atq; tũ à medio neq; pernitiens corpus differt, neq; percussum.

166. Porro, quomodocunq; tandem strepitus excitantur, dæmonum illi potestate excitantur. qua vero illa? an quam intellectiuam vocamus? an voluntate? an alia aliqua, ab vtraque diuersa?

167. Sola intellectus operatio hic non sufficit. Eius omnis in rebus cognoscendis occupatio est, in qua dum versatur. præter id quod in ipso est, prorsus fit nihil. At tumultus hi sunt aliquid extra intellectum: in aëre formantur, in aëre consistunt, in aëre conseruantur, & per aërem ad audientium aures deferuntur.

168. Non solo etiam voluntatis imperio fiunt. Diuinæ virtutis est, solo voluntatis imperio res producere. In solo Deo locũ habet quod dicitur; dixit & facta sunt. Ea non est spirituum aut bonorum aut malorum virtus, vt quæ velint & imperant, mox fiant.

169. Tertia igitur vis est, qua hos tumultus excitant, illa inquã, quam motiuam virtutem non incongruè dixerimus. Hac quemadmodum se mouent, ita orbes cæleſtes, ita quæcunque volunt corpora. hac tumultas hos excitant, hac quæcunq; fere apud mortales agunt, exequuntur.

170. Interim quamuis hæc sola sit, quæ tumultus excitet, cæterarum tamen facultatum opera hic non reijcitur. Quemadmodum homo nihil mouet aut operatur, ad quod non prius voluntas impulit: voluntas autem ad nihil impellit, quod non tanquam bonum, intellectus proposuit, ita ad quemcunque strepitum, qui à spiritibus excitatur, accedit voluntatis imperium, cum rationis iudicio & dictamine.

CAPVT XIII.

171. LOca etiam atque tempora, quibus strepitus hi excitantur, obseruanda sunt, ne quid eorum, quæ cum ipsis coniuncta sunt, præterijsse videamur.

172. Loca vero sex præcipuè, vbi tumultus excitantur, notantur. primus est, vbi animam agit is, cuius mortem signa testantur. secundus, vbi eiusdem degunt amici, qualescunque tandem illi sint. tertius est, vbi possessiones habuit aut prędia. quartus vbi officia seu munia quædam obiuit. quintus, vbi quæ ad funus necessaria sunt comparantur. sextus, vbi corpus moritur, sepelitur.

173. De nullo dictorum locorum dubium est. Exempla hîc suppetunt quotidiana. veruntamen in primo illo frequentius audiuntur tumultus, vt credi possit, omnino dæmones desiderare, vt in præsentium & domesticorum notitiam mors subsecutura perueniat.

174. Ratione

174. Ratione secundi loci fit, vt strepitus etiam in remotissimis orbis partibus obseruati sint, vbi scilicet ij, qui morituro quadam ratione coniuncti sunt, versantur. quocirca & hic locum habet, quod superius dicebamus, vt vnius dæmonis opera non sufficiat, præsertim si eodem tempore in diuersis locis illi excitentur & audiantur.

175. Et quia tertio loco, hoc est, vbi possessiones habent morituri etiam fiunt, hinc est, vt nunc in agris, nunc in arcibus, quæ diuersis essent locis habentur, ijdem audiantur, & eadem ratione fiant, qua ij, de quibus Thesi superiori.

176. At ratione quarti loci accidit, vt in syluis vbi venationi opera data, percipiantur; percipiantur in officinis, vbi laboratum est; in templis, vbi diuina officia frequentata. Sic alias diximus in Moguntinæ Diœcesis quâdam Ecclesia excitari tumultus eo ipso loco, vbi qui ex hac vita discessurus est diuina officia persoluere solet.

177. Sic quia (quod quintus locus postulat) ad funus præcipue pertinent tumba atque cerei, fit, vt in ædibus Arculariorum atq; Lychnopeiorum omnia comparari & fieri cum hoc tumultu frequentissime audiantur, quæcunque vel ad comparandam tumbam, vel cereos conficiendos necessaria sunt.

178. Denique ratione sexti loci fit vt in templis audiantur, atque cemiterijs; quia his locis sepulturam Christiani habent. quibus illa addimus vbi. iustitia administratur, & malefactoribus iusta pro meritis supplicia decernuntur: in quibus etiam nunc hi strepitus auditi, nunc alia signa obseruata. quę suppliciorum reis inferendorum certa essent argumenta. Hæc de locis.

179. Tempora quibus excitántur potissimum duo sunt. meridies & intempesta nox. posterius Spiritibus illis competit; quoniam qui male agunt, Domino dicente, lucem fugiunt. prius quemadmodum & nox, instituto ipsorum optime seruit, quandoquidem vtroque maior quies est, quam illi in his occupationibus studiosius quærunt.

180. Præcipue hęc tempora Dęmones obseruant. sed tamen alia ipsis interdicta non sunt: alijs quoque hos tumultus excitarunt. Sicuti liberè suas cogitationes ad hos excitandos adijciunt; ita possunt, quæcunque ipsis libent, tempora pro hoc officio deligere.

FINIS.